




FONDO PROVINCIA


ISTITUTO ORIENTALE NAPOLI
BIBLIOTECA M. RIPA
1
I
41





6, 8, 23

DE

PRISCA AEGYPTIORVM LITTERATVRA

COMMENTATIO PRIMA

QVAM SCRIPSIT

JOANNES GODOFREDVS LVDOVICVS KOSEGARTEN

S. S. THEOL. DOCT. EIUSDEMQUE ET LITTERAR. ORIENTAL. IN ACADEMIA GRYPHISVALDENSI PROF. PUBL. ORDIN.
SOCIETATUM PARISIENSIS ASIATICAE, REGIAE BRITANNICAE ASIATICAE, POMERANAE ANTIQUITATUM
POMERANARUM SCRUTATORUM SODALIS.



CUM TABULIS I — IV. IX — XIV. ET A — I.

VIMARIAE

IN LIBRARIA QUAE NUNCUPATUR LANDES-INDUSTRIE-COMTOIR.

CIƆICCCCXXVIII.



Praefatio.

Voluminum aegyptiacorum, et eorum maxime quae in bibliothecam regiam Berolinensem advecta sunt, quantum possem interpretandorum studio ductus, prima aliquot interpretationis elementa hac commentatione exponenda esse ratus sum, ut his praemissis tanquam accinctus ad explicanda volumina singula progredi possem. De litteris itaque, et siglis, et numerorum signis, quae in scriptura aegyptiaca enchoria deprehenduntur, disputavi, quoad certiora de his rebus tradere potui. Quibus elementis in exponendis fieri aliter non potuit, quam ut duumviris de antiquis litteris aegyptiacis quam maxime meritis, Youngio et Champolliono, in plerisque assentirem, repertaque eorum novis adpositis exemplis confirmarem et augerem. Tituli Rosettensis vero enchorii, quo reperto veterum scripturarum aegyptiacarum explicandarum fundamentum jactum est, repraesentationem cum adscripta interpretatione Youngiana non eam quidem ob causam commentationi adjeci, quod omnia recte exposuisse Youngium putarem, quam sententiam, nisi fallor, neque ipse vir doctissimus tueri vult; sed quoniam permulta in illa interpretatione bene explicata esse censerem, atque de iis, quae vir optime meritus in hoc studiorum genere praestiterit, aliquid detrahere nefas ducerem. Primam tantummodo celeberrimi tituli partem, sedecim lineis complexam, quae in tabulis I. II. III. IV. exaratae cernuntur, primae huic commentationi adjeci; alteram, quae superest, partem, totidem lineis contentam, et in tabulis V. VI. VII. VIII. repraesentandam excipiet commentatio secunda. Pro vocabulis latinis benefici, illustris, munifici, amantis patris aliisque, quae adscripsit Youngius, graeca retinui evergetae, epiphanis, eucharisti, philopatoris, ut quae regia cognomina graeca enchoriis expressa sint, apertius significarem.

*

Deinde totius papyri Berolinensis tricesimi sexti, et exordiorum caeterorum voluminum Berolinensium enchoriorum repraesentationes cum adscriptis interpretationibus, quas ut potui diligenter confeci, eum in finem adjiciendas curavi, ut qua ratione id genus scripturas enchorias explicandas esse censeam, statim quodammodo declararem. Attamen non omnia, quae adscripserim, tanquam certa rataque me posuisse, vel ex adjectis dubitationis signis facile adsequentur lectores periti; singula vero, cum ea quae certa esse, tum ea quae in disceptationem cadere censeam, amplius exponentur commentatione proxima, quae etiam alios papyros integros lectoribus proponet. Nonnullorum autem voluminum, quibus syngraphae continentur, exemplaria bina Berolini adservantur, eodem quidem tempore exarata, attamen in nonnullis diversa; unde factum est, ut bibliothecae regiae praefecti exemplaria illa gemina litteris a et b adscriptis distinxerint. Quum tempora, ad quae pertinent syngraphae enchoriae Berolinenses, ex ratione a Champolliono proposita quam possem adcurate exponere vellem quibus temporibus diverso modo explicandis operam dedit Seyffarthus v. c., etiam mensium et numerorum signa a Champolliono reperta in tabulis D—I. repraesentanda esse ratus sum, ut major interpretationi fides adjungeretur. Debitas vero gratias refero Youngio, Champolliono, Peyronio, viris praeclarissimis, qui quoties aliquid ad hoc studiorum genus pertinens ab iis sciscitarem, toties benevole semper et promte quae desiderarem mecum communicaverunt. Pares gratias viris doctissimis quoque habeo, qui bibliothecae regiae Berolinensi praesunt, Wilkenio, Buttmanno, Spikero, qui volumina aegyptiaca perlustranda scrutandaque summa semper humanitate petenti mihi crediderunt. Nihil aliud restat, nisi ut lectores candidos orem, ut labores hos qualescunque, quos in re ardua et difficultatibus variis circumsepta suscipere volui, aequi bonique consulant. Scripsi Gryphisvaldiae mense Augusto a. CIƆDCCCXXVII.

Jo. Godofr. Lud. Kosegarten.



Caput primum.

De notis litterarum enchoriarum.

Quum nuper voluminis aegyptiaci, quod in bibliotheca regia Berolinensi asservatur, interpretationem ediderim, testimonia vero rationesque, quibus interpretatio niteretur, propter illius scripturae angustiam adjicere non licuerit, nova nunc scribendi opportunitate data, uberius de prisca Aegyptiorum litteratura quid cognitum habeam exponendum mihi esse putavi, ut accuratius singula persequendo, interpretationem illam non nimis temere me proposuisse demonstrarem, et, quod optabilius certe mihi videtur, de graviori antiquarum litterarum genere, ad quod ferimur ipsa generis novitate et obscuritate invitati, aliquid, quod in commune prosit, scriberem. In quo quidem vereor, ne, si id, quod viri harum rerum studiosi volunt, minus plene effecero, partes susceptas non explevisse videar multis, qui difficultate rei ignorata, vel saltem non satis reputata, perfectam jam et omnibus partibus absolutam priscae Aegyptiorum litteraturae explicationem poscant. Etsi enim in hoc litterarum genere plura nuper, vel certa, vel probabiliora, per virorum doctorum diligentiam reperta sunt, multum, ut mihi videtur, tamen abest, ut ratio litteraturae aegyptiacae ita penitus jam perspecta sit, ut omnia scripta aegyptiaca feliciter explicare possimus. Attamen non esse arbitror, cur ab hac scriptione deterrear; nam quae adhuc reperta sunt fide digniora exponere, testimoniis idoneis confirmare, novisque repertis augere, utilitate carere non potest, sed viam munit ad reperienda ea, quae desiderantur. Nunc vero, ne nimis longa sumatur oratio, de re dicere incipiam.

Bina litterarum aegyptiacarum genera fuisse perhibet Herodotus capite tricesimo sexto libri secundi, sacras scilicet et vulgares, ἱρὰ et δημοτικά; bina genera quoque Diodorus capite tertio libri tertii, sacras et vulgares, ἱερὰ et δημώδη; tria vero Clemens Alexandrinus, qui libro quinto Stromatum de hac re accuratius disputare videtur, epistolares scilicet, sacerdotales et hieroglyphicas, αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐπιστολογραφικήν, et ἱερατικήν, et ἱερογλυφικήν. Legenda sunt quae de hoc Clementis loco disseruit Letronnius in libro Champollioni: Précis du système hiéroglyphique des anciens Egyptiens. Paris. 1824. pag. 328. seqq. et pag. 401. seqq. Tria litterarum genera etiam in monumentis aegyptiacis, adhuc in lucem protractis, comparent, cum in lapidibus incisa, tum in voluminibus papyraceis exarata. Primo hieroglyphicae, crebris hominum, bestiarum, plantarumque imaginibus intermixtae; deinde aliae, ab hieroglyphicis satis deflexae, quae hieraticae, a Clemente memoratae, esse existimantur; denique minores quaedam, quas enchorias vel populares, ἐγχώρια γράμματα, nuncupant lapis Rosettensis, et stela Taurinensis, de qua dixit Amadeus Peyronius in commentatione: Untersuchungen über Papyrusrollen, koptische Handschriften, und eine Stele mit dreifacher Inschrift im königlichen ägyptischen Museum zu Turin. Uebersetzung aus dem Italienischen. Bonn. 1824. pag. 21. seqq. Tertium hoc litterarum genus idem esse videtur, quod demoticum vel vulgare adpellaverunt Herodotus et Diodorus, epistolare Clemens Alexandrinus. Etenim ad describenda ea, quae ad usum vitae communis pertinent, litteras enchorias adhibuerunt Aegyptii, multaeque in bibliotheca Berolinensi, et in museo Taurinensi aliisque bibliothecis exstant his litteris descriptae syngraphae, apochae et indices.

De tribus his litteraturae aegyptiacae generibus universe disputarunt Thomas Youngius in libro, qui inscriptus est: Museum Criticum or Cambridge Classical Researches. Nro. VI. Cambridge. 1816. pag. 155 — 204. Nro. VII. Cambridge. 1821. pag. 329 — 339. atque Champollion in libro: Précis du système hiéroglyphique. Paris. 1824. pag. 251 — 366; qui vir doctus singula ea genera maximam partem ex veris litterarum notis constare existimavit, id est ex notis, quae sonos, non item sensus, verborum significent. A litteris phoeniciis ortas esse hieroglyphicas, exposuit Seyffarthus in libro: Rudimenta hieroglyphices. Lipsiae. 1826. Nos ad explicandam scripturam enchoriam aggredimur, primoque de subsidiis, quae sola litterarum enchoriarum formas et significationes aperiunt, breviter dicimus. Gravissima haec subsidia sunt tituli bilingues, qui

inscriptionem aegyptiacam cum adjecta translatione graeca exhibent, atque volumina aliquot papyracea aegyptiace inscripta, quae in graecum quoque conversa forte reppererunt viri docti. Quo ex genere quae in lucem protracta exstant, haec fere sunt.

Primus est lapis Rosettensis, qui titulo aegyptiaco, et hieroglyphicis, et enchoriis litteris descripto, translationem graecam adjecit. Post De Sacyum et Akerbladium, qui primi nomina aliqua propria enchoriis litteris in eo consignata explicaverunt, totius tituli enchorii translationem anglicam proposuit Thomas Youngius in libro: Museum Criticum. Nro. VI. Cambridge 1816; quo loco litteras quoque recensuit enchorias triginta, et vocabula enchorie scripta octoginta sex. Cujus rei novam curam egit vir ille ingeniosus in Musei critici volumine septimo, ubi non meras litteras, sed sigla etiam ac signorum hieroglyphicorum compendia in scripturis enchoriis inesse sibi videri demonstravit. Integrum denique titulum enchorium in opere splendido, quod inscriptum est: Hieroglyphics collected by the egyptian Society; second fasciculus. London 1823, tabulis lithographicis quindecim ita excudendum curavit Youngius, ut ad singula vocabula enchoria adscriberentur vocabula graeca atque latina, neque non, quotquot in lapide supersunt, eadem vocabula hieroglyphicis signis exarata. Quem titulum, ex illo libro repetitum, libello meo adjeci, omissis quidem vocabulis graecis atque hieroglyphicis, ut quae in eo leguntur nomina propria, aliaque nonnulla vocabula, quorum significatio perspecta esse videtur, litterarum enchoriarum formas aperiant. Aliam tituli enchorii interpretationem confecit Spohnius, quam edidit Seyffarthus in libro: Spohn de lingua et literis veterum Aegyptiorum. Lipsiae 1825.

Secundus est papyrus Casatianus, syngrapham aegyptiacam litteris enchoriis scriptam exhibens, qui Lutetiae Parisiorum asservatur. Cujus syngraphae translationem graecam, vel antigraphum, ex Aegypto in museum Greyii forte illatam, nactus est Thomas Youngius, qui de utroque papyro, aegyptiaco scilicet et graeco, disputavit in libro: Account of some recent discoveries in hieroglyphical literature and egyptian antiquities. London 1823. pag. 43. 56. seqq.; utrumque deinde papyrum excudendum curavit in libro: Hieroglyphics; second fasciculus. Tab. 31. 32. 33. Quum ejusdem syngraphae alterum exemplar aegyptiacum, enchoriis litteris scriptum, sedecimque testium nominibus quoque munitum, Berolini in papyro Minutoliano tricesimo sexto ipse reppererim, de eo exposui in libello: Bemerkungen über den ägyptischen Text eines Papyrus aus der Minutolischen Sammlung. Greifswald 1824. Nunc vero exemplar Berolinense,

summa cura a me transcriptum, tribusque in tabulis lithographicis exaratum, huic libello adjungendum curavi.

Tertius est papyrus Greyianus, qui syngraphas aegyptiacas tres, enchoriis litteris scriptas, exhibet, a Youngio editus in libro: Hieroglyphics; second fasciculus. Tab. 34. 35. Primae syngraphae argumentum graece redditum in papyro quodam Taurinensi repperit Amadeus Peyronius; Untersuchungen über Papyrusrollen; pag. 14.

Quarta est syngrapha Nechuthis graece scripta, quam edidit Boeckhius in libro: Erklärung einer ägyptischen Urkunde auf Papyrus in griechischer Cursivschrift. Berlin 1821. In qua syngrapha multa exstant graece reddita, quae in enchoriis quoque syngraphis comparere solent, ut verba exordii, ad principes sacerdotesque, qui eo tempore munere fungebantur, spectantia; quamobrem papyrus hic graecus ad explicandas syngraphas enchorias aliquid adjumenti adfert.

Loco quinto ponendae sunt exactiones vectigalis, quae frequentes graecae, ad syngraphas enchorias adscriptae, in papyris reperiuntur; tempus enim atque personas, ad quas pertinent syngraphae, declarant. De quibus exactionibus graece scriptis disputaverunt Boeckhius in libro: Erklärung einer ägyptischen Urkunde; pag. 32. seqq. Youngius in libro: Account of some recent discoveries; pag. 76. seqq. Hieroglyphics. Tab. 34. 35. et accuratius Buttmannus in libro: Erklärung der griechischen Beischrift auf einem ägyptischen Papyrus aus der Minutolischen Sammlung. Berlin 1824.

De explicanda scriptura enchoria prae ceteris meriti sunt Youngius, qui multarum litterarum formas edendas curavit in museo critico; Nro. VI. Cambridge 1816. pag. 173. et Champollionus, qui in libro: Précis du système hiéroglyphique; Paris. 1824, planches et explication; tab. A—K. litteras enchorias cum hieraticis et hieroglyphicis comparatas edidit, atque paulo post, picturis quibusdam adjutus, quas ex Aegypto ad eam miserant Anastasyus et Saltius, numerorum ac mensium notas, cum enchorias, tum hieraticas, invenit; Bulletin des sciences historiques; antiquités, philologie. Paris 1824, Decembre, pag. 340. seqq.; 1825. Mai, pag. 379. seqq. Phoenicias esse litteras enchorias, quod Letronnio veri simile visum erat in Champollioni libro: Précis du système hiéroglyphique. pag. 406, ostendere conatus est Seyffarthus in libro: Rudimenta hieroglyphices. Lipsiae 1826. Tab. XXXVI.

Quibus ita expositis, ad recensendas litterarum enchoriarum notas, quotquot compertas habere mihi videor, pergo, omnesque eas ut testimoniis claris confirmem, quo-

ad facere possum, operam dabo; in quo negotio summam utilitatem adferunt nomina propria, quippe quorum lectio magis in aperto est, quam vocabulorum linguae haud satis notae. A dextera ad sinistram scriptura enchoria progreditur, quam scribendi rationem Aegyptiis usitatam tradit Herodotus capite tricesimo sexto libri secundi; litteras vocales in mediis vocabulis, pariter atque scriptura phoenicia, modo ponit, modo supprimit. Significatio vero litterarum vocalium inter sonos similes fluctuat, ut apud Phoenicios et Hebraeos pronuntiatio litterarum Alef, Waw, Jod, Aïn et Cheth; neque non litterae consonantes, quae similes sonos significant, ut K et G, T et D, P et F, U et F, inter se permutantur. Quod etiam in recentiori Aegyptiorum litteratura, scilicet Coptica, fieri demonstravit Scholtzius capite primo grammaticae aegyptiacae. Singulis fere litteris enchoriis plures sunt formae. Vocales vero litteraturae copticae sunt: I. Alpha quae sonat *a*; II. Ei quae sonat *e* et *a*; III. Hida quae sonat *a* et *i*; IV. Jauda quae sonat *i*; V. O breve et O longum, quae sonant *o* et *au*. Vocalem He, id est Epsilon graecum, quae in vocabulis copticis nonnisi cum aliis vocalibus conjuncta reperitur, ad significandas diphthongos *au* et *ou* adhibent. Totidem fere sunt vocales enchoriae, quae frequentissimae comparent; scilicet:

I. *a.* copticum Alpha.

II. *e. ei. a.* fere copticum Ei.

III. *e. o.* fortasse copticum Hida.

IV. *i.* copticum Jauda.

V. *o. u.* copticum O.

Jam singulas eas litteras, quarum significationem apertiorem existimo, videamus Habent vero saepissime cum nomina propria, tum vocabula enchoria, exitum quendam varie scriptum, scilicet: cujus pronuntiatio adhuc haud satis certe explorata mihi videtur, quamobrem in nominibus latine scriptis hoc loco exitum illum asterisco * tantum adposito significabo; infra vero fusius de eo disputabitur.

1. Littera est *a*.

Exstat in nomine Alexandri, lap. Ros. lin. sec:

*m-alksandrs**.

in nomine Arsinoës, lap. Ros. lin. sec.:

*m-arsino**.

in nomine Antimachi, papyr. Casat. Hieroglyphics. fasc. 2. Tab. 32. lin. 35:

*antimchos**.

in nomine Amonii, papyr. Grey. Hieroglyphics. fasc. 2. tab. 35. lin. 6:

amonis.

Exstat haec littera praeterea in nomine Aieti, titul. Rosett. lin. 3; Antigenis, papyr. Casat. Hieroglyphics. fasc. 2. tab. 32; Apollonii, loc. cit; Areiae, titul. Rosett. lin. 3; Apellis; Journal asiatique, cahier 13. 14. 1823. Rarius huic litterae subscriptum invenitur punctum, ut in nomine Alexandri, journal asiatique, cahier 14, infra repraesentando, ubi de littera septima disputabitur, pag. 8. Quod punctum vero pronuntiationis declinationem ibi significare non videtur.

2. Littera est *b*.

Exstat in nominė Berenices, papyr. Berol. 45. lin. 1:

*m-brnik**.

et in nomine Berenices, papyr. Berol. 36. lin. 1. atque papyr. Berol. 52. lin. 2. et Journal asiatique. cah. 13. 14.

Exstat deinde in nomine Phabis, antigraph. Grey. φάβιτος vel φύβιτος, papyr. Berol. 36. lin. 5.:

*fbi**.

Exstat in nomine Lubaïs, papyr. Grey. λούβαιτος, Hieroglyphics. tab. 34:

*lubi**.

atque in nomine Tbaiais, papyr. Grey. τβαίαιτος, Hieroglyphics. tab. 34:

*tbii**.

In titulo Rosettensi forma quaedam hujus litterae paulo secus exarata cernitur, scilicet ; in nomine Berenices lin. 3:

*m-brnike**.

3. Littera est *o* et *u*.

Cernitur haec littera in nomine Apollonii, papyr. Casat. Hieroglyphics. tab. 32.:

*aplonis**.

et in nomine Cleopatrae, papyr. Berol. 36. lin. 1:

m-kloptr *.

et in nomine Ptolemaei, Journal asiatique, cah. 14:

m-ptolmis *.

Frequentius vero nomen Ptolemaei scribitur Ptlomis, ut in papyr. Berol. 36. lin. 1:

m-ptlomis *.

4. Littera est *e*.

Ut in nomine Irenes, *εἰρήνης*, titul. Rosett. lin. 4:

eirene *.

Et in nomine Berenices, Journal asiatique, cah. 14. papyr. 2:

m-bernike *.

Aliis vero in nominibus haec littera vocalem o significat; ut in nomine Diogenis, titul. Rosett. lin. 8:

diokni.

et in nomine Ptolemaei, titul. Rosett. lin. 3. et 4:

ptlomios *.

Vide etiam nomina Dropionis et Menapionis, Journal asiatique, cah. 14.

Sed ingenium valde versatile haec littera habere videtur; comparet enim etiam in locis, ubi vocalem a fortasse significat; ut in nomine Pyrrhae, *πύῤῥας*, titul. Rosett. lin. 3.

*pra** vel *pre**.

et in nomine Menapionis, Journal asiatique, cah. 14:

*mnapion** vel *mnopion* *.

Ita Coptorum quoque vocalis Hida, quod ad pronuntiationem adtinet, satis versicolor est, eorumque vocalis Ei non solum vocalem e significat, verum etiam scribitur pro Graecorum *α*, et *αι*, et *ο*; Scholtz gramm. aegyptiac. p. 5. Youngius hanc litteram adspirationem h, vel Coptorum litteram Hori, significare censuit, Mus. critic. VI. 173; quod, si in universum dictum sit, dubium reor, quum Aegyptios nomen Irenes scripsisse Irhnh, non satis probabile videatur. In nominibus saltem, quae hoc loco recensui, hanc litteram adspirationem significare non puto. At aliis tamen in locis, vocabulis praeser-

tim aegyptiacis, hanc litteram fortasse adspirationem esse, non nego; nam etiam apud semitas vocalibus et adspirationibus aliquid affinitatis esse constat. De vocabulis aegyptiacis infra dicetur. Nomen vero exstat in papyro Parisiensi, quod Hermen significare conjecit Champollionus; in quo littera aut vocalis e, aut adspiratio h esse potest; Journal asiatique, cah. 14:

*hrms** vel *erms**.

5. Littera est *i*.

Cernitur in nomine Philini, φιλίνου, titul. Rosett. lin. 3:

*pilins **.

Atque in nomine Arsinoes, et Apollonii, quae supra adposui pag. 6.

6. Littera est *i* vel *ei*.

Ut in nomine Irenes supra, pag. 7. expresso, et in nomine Phibis, φίβιος, Hieroglyph. tab. 32:

*fib **.

Deinde significat vocalem e in nomine Eriei, ἐριέως, quod frequens legitur in papyris Greyianis, Hieroglyph. tab. 32. 34:

*er ***.

In nomine Alecis, ἀλήκιος, significat vocalem a; Hieroglyph. tab. 34:

*alk **.

7. Littera est *k*.

Cernitur in nomine Alexandri, Journal asiatique, cah. 14:

*m-alksandrs **.

et in nomine Berenices ibidem expresso, quod supra adposuimus, pag. 7. In vocabulis aegyptiacis huic litterae frequentius subscriptum est punctum, quod fortasse declinationem quandam pronuntiationis significat. Exstat hoc punctum in papyr. Berolin. 36. lin. 2 et 3. in vocabulo:

i. e. dimidium.

ibidemque lin. 3. in nomine Nechthmonthis, νεχθμώνθου. Eadem littera vel *k* etiam litteram g significarunt Aegyptii, ut in nomine Diogenis, Journal asiatique, cah. 14.

Aliena fortasse fuit a veteri Aegyptiorum lingua littera g, sicut a Coptis non fere nisi in scribendis vocabulis peregrinis adhibetur; Scholtz grammat. aegyptiac. pag. 5.

8. Littera est *k*.

Exstat in nomine Cleopatrae, papyr. Berol. 45. lin. 1:

m-kloptr *.

ibidemque lin. 1. in nomine Alexandri.

9. Littera est *k*.

Exstat in nomine Berenices, titul. Rosettens. lin. 3:

m - brnike *.

ibidemque lin. 2. in nomine Alexandri, et lin. 3. in nomine Diogenis, ubi aegyptiacum *k* iterum vicem repraesentat litterae *g*.

10. Littera est *k*.

Exstat in nomine Berenices, papyr. Berol. 41. lin. 1:

m - brnk *.

11. Littera est *k*.

Exstat in nomine Cleopatrae, papyr. Berol. 47. lin. 1:

m - kloptr *.

12. Littera est *k*.

Cernitur in nomine Cleopatrae, papyr. Berol. 44. b. lin. 1:

m - kloptr *.

et in nomine Cleopatrae, papyr. Berol. 46. lin. 1.

13. Littera est *'ch*.

Cernitur in nomine Antimachi, papyr. Berol. 50. col. 3:

antimchos *.

Quod nomen ex papyro Casatiano sumtum supra repraesentavi, pag. 6.

14. Littera est *l*.

Cernitur in nomine Lubaïs, papyr. Grey. λούβαιτος, Hieroglyphics. tab. 34:

lubi *.

multisque aliis nominibus supra repraesentatis.

15. Littera est *m.*

Exstat in nomine Ptolemaei, papyr. Berol. 46. lin. 1:

m - ptlomis *.

16. Littera est *m.*

Exstat in nomine Ptolemaei, papyr. Berol. 36. lin. 1:

m - ptlomis *.

17. Littera est *n.*

Exstat in nomine Antigenis, Hieroglyph. tab. 32:

m - antikns *.

Nonnunquam ab hujus litterae parte inferiori abest uncinus ille, quo alias distinguitur a littera *m;* ut in nomine Alexandri, papyr. Berol. 44. b. lin. 1:

m - alksndros *.

18. Littera est *n.*

Cernitur in nomine Antimachi, Hieroglyph. tab. 32:

antimchos *.

19. Littera est *n.*

Exstat in nomine Alexandri, journal asiatique, cah. 14:

m - alksandrs *.

Et in nomine Alexandriae, titul. Rosettens. lin. 10. Littera *n* in nomine Alexandri, quod titul. Rosett. lin. 2. legitur, et supra pag. 5. repraesentatum est, ita exarata esse videtur: ; quod fortasse forma est uncino aucta.

20. Littera est *p.*

Exstat in nomine Ptolemaei, papyr. Berol. 36. lin. 1:

m - ptlomis *.

Et in nomine Apollonii, papyr. Casat, Hieroglyphics, tab. 32, quod supra repraesentatum est, pag. 6. Hac littera nonnunquam etiam *p* adspiratum, vel *ph* significarunt Aegyptii, ut in nomine Philini, titul. Rosett. lin. 3., supra p. 8. repraesentato factum est.

21. Littera est *p.*

Reperitur in nomine Ptolemaei, papyr. Berol. 50. colum. 6:

ptlomis *.

Et in nominibus Ptolemaei et Dropionis, journal asiatique, cah. 14. Etiam *p* adspiratum hac littera significarunt Aegyptii, ut in nomine Philini, journal asiatique, cah. 14.

22. Littera est *p.*

Exstat in nomine Panae, *πάνας*, papyr. Casat. Hieroglyph. tab. 32:

pna *.

Et in nomine Pacemis, *πακῆμιος*, papyr. Berol. 36. a tergo:

pkmi *.

Videndum quoque est nomen Pacemis in papyr. Casat. Hieroglyph. tab. 32. et nomen Pechytis, *πεχύτης*, papyr. Grey. Hieroglyph. tab. 35. Etiam hac litterae forma *p* adspiratum significarunt Aegyptii, ut in nomine Phabis supra repraesentato, pag. 6. Eandem formam retinuerunt Copti, appellaruntque litteram Phei.

23. Littera et est *p.*

Cernitur in nominibus aegyptiacis multis, ut in nomine Psenamonis, *ψεναμούνιος* i. e. filii Amunis; papyr. Grey. Hieroglyph. tab. 35:

p - sn - amun.

Nomen Amunis hoc loco significatum esse videtur siglo, de quo infra dicetur. Exstat haec littera in nomine Petosiris, *πετοσίριος* i. e. Osiriaci, vel servi Osiridis, papyr. Casat. Hieroglyph. tab. 32:

pt - osir.

Nomen Osiridis siglo significatum esse videtur. Reperitur eadem littera in nomine Peteartris, *πετεάρτρης*, papyr. Casat. Hieroglyph. tab. 32:

pt - or - tr.

Nisi forte in translatione graeca legendum est *πετεάρπρης*, nomen aegyptiacum frequentius usitatum, quod significat: servus Ori et solis. Vide Champollion Précis, p. 124. Nomen solis enim in titulo Rosettensi, lin. 1. et 2. significatum esse videtur siglo:

Littera ϥ etiam *p* adspiratum significarunt Aegyptii, quod in nomine Phibis, Hieroglyph. tab. 32, supra pag. 8. repraesentato, factum est.

24. Littera / est *r*.

Cernitur in nomine Areiae, ἀρεῖας, titul. Rosett. lin. 3:

aria.

multisque nominibus supra repraesentatis. Alia hujus litterae forma, scilicet ⟶, exstat in nomine Alexandri, titul. Rosett. lin. 2:

m-alksandrs *.

25. Littera O est *r*.

Exstat in nomine Alexandri, journal asiatique, cahier 14:

m - alksandrs *

et in nomine Arsinoes, journal asiatique, cahier 14:

m - arsni *.

Haec littera hieratice scripta formam ʘ vel ʘ repraesentare solet, ut in nomine regis Ramsis, quod in papyris hieraticis Taurinensibus frequens reperitur; Champollion seconde lettre à M. le Duc de Blacas d'Aulps, pl. 12:

rmss.

26. Littera ‹ıı est *s*.

Exstat in nomine Arsinoës, papyr. Berol. 36. lin. 2:

m - arsin *,

Et in nomine Sitaltis, journal asiatique, cah. 14:

sitlts *.

Et in nomine, quod fortasse Serapionem significat, papyr. Berol. 50. col. 4:

srpiaon *.

vel *srpinon* *.

27. Littera ϧ est *s*.

Cernitur in nomine Arsinoës, journal asiatique, cah. 14:

m - arsnie *.

Et in nomine Sitaltis paulo supra repraesentato.

28. Littera est *s*.

Exstat in nomine Alexandri, journal asiatique, cah. 14:

m - alksandrs *.

Et in nomine Alexandri, titul. Rosett. lin. 2. supra pag. 12. repraesentato.

29. Littera est *s*.

Exstat in nomine Alexandri, papyr. Berol. 44. b. lin. 1:

m - alksndros *

30. Littera est *t*.

Cernitur in nomine Ptolemaei, titul. Rosett. lin. 5:

m - ptlomios *.

Et in nomine Cleopatrae, papyr. Berol. 44. b. lin. 1. supra repraesentato, pag. 9. Frequentissimum reperitur punctum huic litterae subscriptum, quod significationem immutare non videtur. Scriptum est, cum puncto illo adposito, in papyro Berolinensi 36. lin. 1. idem Ptolemaei nomen:

m - ptlomis *.

Et nomen Cleopatrae, papyr. Berol. 36. lin. 1. supra repraesentatum, pag. 7. Hac littera *t* vero Aegyptii veteres etiam litteram molliorem *d* in nominibus peregrinis adhibitam significarunt; quoniam, ut videtur, a patrio Aegyptiorum alphabeto littera *d* propria abfuit. Nomen Diogenis in titulo Rosettensi, lin. 3, ita scriptum est:

tiokns.

Et nomen Alexandri, journal asiat. cah. 14:

m - alksantrs *.

Etiam puncto subscripto aucta littera saepe significat litteram *d*, ut in nomine Alexandri, papyr. Berol. 44. b. lin. 1. supra repraesentato, pag. 10. Linguae Copticae quoque litteram *d* propriam non esse, monuit Jablonskius; Pantheon Aegyptiorum,

part. 1. pag. 274: „Id vero hic ante omnia animadvertendum arbitror, quod priscis Aegypti incolis littera Delda, *d*, prorsus incognita atque inusitata fuerit. Neque exstat in Coptorum libris vox ulla, originis verae et genuinae Aegyptiacae, in qua littera illa compareat. Invenitur in illis tantum, quas Aegyptii a Graecis tractas usu diuturno suas fecerunt, et quas linguae utriusque probe perito a vere aegyptiacis discernere, facillimum est." Idem sentit Scholtzius grammat. Aegyptiac. pag. 5: „Delda, *d*, in utraque dialecto in vocibus peregrinis tantum admittitur, et est littera priscis Aegyptiis prorsus inusitata. Jablonski in Panth. Aegypt. p. 1. l. 11. c. 7. p. 274. Litteram Tau, *t*, ejus loco adhibuerunt; e. g. Apocal. 21. v. 14. pro *χαλκεδὼν* scriptum est coptice *charketon*." Ex quo vocabulo etiam id intelligitur, litteram *l* apud Coptos nonnunquam commutari cum littera *r*; quod in antiqua quoque Aegyptiorum litteratura, hieroglyphica scilicet, hieratica et enchoria, saepius accidere videmus.

31. Littera [demotic sign] est *t*.

Exstat in nomine Ptolemaei, papyr. Berol. 47. lin. 1:

[demotic group] *m - ptloms* *.

Distinguenda est haec littera ab alia, cui nonnunquam est aliqua cum illa similitudo, scilicet littera [demotic sign], vel *a*.

32. Littera [demotic sign] est *t*.

Cernitur in nomine *Tbaiais*, papyr. Grey. *τβαλαιτος*, Hieroglyphics. tabul. 34:

[demotic group] *tbii* *.

Litterarum, quas modo recensuimus, significationes satis certe exploratae, exemplisque adpositis comprobatae esse videntur. Sunt vero aliae quaedam litterae, quibus etiam certam significationem tribuerunt viri aliquot docti, quarum explicationem tamen non aeque expeditam arbitror, quoniam in nominibus propriis, quorum pronuntiatio cognita sit, vel rarius, vel nunquam, quantum sciam, adhuc repertae sunt. Quae litterae fere hae sunt.

33. Littera <> est fortasse o

in vocabulo aegyptiaco, quod fossam et fluvium significat, titul. Rosett. lin. 14. et 15:

[demotic group] *fossa*.

atque pronuntiari posset *ior*; nam in lingua coptica vocabulum *ior* fossam significat, unde hebraicum quoque *jeor*, יְאֹר, i. e. fluvius, canalis, ortum esse videtur. Exstat

haec littera, sed cum lineola adjecta, etiam in nomine, quod Horum Hermam significare putavit Champollion, journal asiatique, cah. 14:

orserms *.

Alias nomina Hori et Hermae siglis brevioribus significantur, de qua re infra dicetur.

34. Littera est fortasse *b*

in nomine Phibis, φίβιος, Hieroglyph. tab. 32:

fib *

Haec nominis Phibis forma cernitur etiam in nominibus compositis Senosorphibis, σενοσορφίβιος, et Teephbis, τέεφβις, Hieroglyphics, tab. 34:

sen - osor - fib *.

te - fib *.

Primum nomen compositum est ex syllabis:

sen i. e. *filia.*

osor i. e. *osiris.*

fib * i. e. *phibis.*

Quas syllabas re vera significare *sen* et *osor*, demonstrabitur infra.

35. Littera est *p.*

Scribitur enim pro , quam litteram significare *p* supra vidimus. Prima littera nominis Peteutemis, πετεύτημις, quod in testium indice papyro Casatiano adjecto exstat, est , Hieroglyphics, tabul. 32; ejusdem vero nominis, in testium indice, qui papyri Berolinensis tricesimi sexti tergo inscriptus est, exarati littera prima est . Vocabulum aegyptiacum quod *sacerdotem* significat, et in exordiis papyrorum enchoriorum frequentissimum reperitur, plerumque scriptum ita est:

sacerdos

ut in papyro Berolinensi quadragesimo quarto; vel ita:

sacerdos

ut in papyro Berolinensi tricesimo sexto. Sed in papyro Berolinensi tricesimo octavo semper legitur:

sacerdos.

Litteram vel in hoc sacerdotis nomine articulum generis masculini aegyptiacum *p* esse suspicor; *sacerdotissae* nomen enim generis feminini nota distinctum scribitur:

sacerdotissa;

ut in papyri Berolinensis tricesimi sexti linea secunda.

36. Littera fortasse significat *s*; exstat enim prima in nominibus Snachomis et Snachomnei, σναχόμης, σναχομνεὺς, quae leguntur in papyro Casatiano, Hieroglyphics, tabul. 32:

Snachomes.

Snachomneus.

Eadem littera cernitur prima in nominibus Spoti, σπότους, Hieroglyphics, tab. 31; et Zminis, Ζμῖνις, et Zthenaetis, Ζθεναήτιος; Hieroglyphics, tab. 32.

37. Litteram esse *i* putavit Youngius, ut in vocabulo aegyptiaco, quod *templum* significat, et in titulo Rosettensi frequentissimum comparet:

templum.

Quod vocabulum *rfii* pronunciandum esse, suspicatus est Youngius, Mus. Critic. Nro. 6. 1816; in lingua coptica enim templum appellatur *erfei.*

38. Litteram significare *i*, censuit Youngius; quae littera cernitur in vocabulo aegyptiaco, quod *terram* significare videtur, titul. Rosettens. lin. 13:

terra.

Quod, quum vocabulum copticum *kahi* terram significet, fortasse *kahi* pronuntiandum esse, arbitratus est Youngius.

39. Litteram esse *dsch*, scilicet Coptorum Dschendscham, putavit Youngius. Exstat haec littera in vocabulo frequentissime usurpato, quod *patrem* significat, titul. Rosett. lin. 1:

pater.

Quod vocabulum pronuntiari posse *edscho*, censuit Youngius, ratione habita vocabuli coptici *dscho*, i. e. caput, vel vocabuli *dschoou*, i. e. generatio.

40. Litteram esse fortasse *s*, conjecit Champollionus; Précis du système hiéroglyphique; planches, tabul. H. Exstat haec littera in vocabulo, quod *fratrem* significat, papyr. Berolin. 36. lin. 1:

frater.

Quod vocabulum, si littera prima esset *s*, pronuntiari liceret *sn*, vel *son*; in lingua coptica enim *son* est frater. Atque etiam hieroglyphice idem vocabulum *son* scriptum esse censuit Champollionus, scilicet hoc modo:

sn.

Vide Précis du système hiéroglyphique; planches; tab. 14. Nro 260.

41. Litteram esse *b*, conjecit Youngius; eam ob causam, ut videtur, quod significat *b*. Ita illam litteram legendam esse, persuaderet fortasse vocabulum aegyptiacum enchorie scriptum, quod *urbem* significat, titul. Rosett. lin. 12. 13. 14:

urbs.

Quod fere *bhi-t*, vel *bki-t* legendum esse quis putaret, quoniam *t-baki* in lingua coptica est urbs; littera *t* vero, quae genus femininum nominum significat, in scripturis enchoriis ad finem vocabulorum adscribi solet. At vero etsi haec haud improbabiliter dicta videri possint, tamen sunt etiam, quae illam litterae lectionem dubiam reddere queant. Frequentissimum cernitur in scripturis enchoriis vocabulum, quod *regem* significat, ita exaratum, titul. Rosett. lin. 1:

rex.

Quod vocabulum, littera habita pro *b* vel *p*, *m-porh* vel *m-forh* legendum esse, conjecit Youngius, Mus. Critic. Nro. 6. pag. 174. 175; quoniam vocabulum copticum *fouro* vel *pouro* regem significat; in quo id tenendum, *ouro* proprie esse regem, litteram *p* vero signum generis masculini, eamque ob rem nomen reginae, cum signo generis feminini adjecto, pronuntiari *touro*. Champollionus vero, quum vocabulum regis hieroglyphice et hieratice scriptum cum enchorio illo contulisset, eam in opinionem adductus est, ut hoc vocabulum non *m-for*, sed fortasse *stn* legendum sit. Quod in libro, qui inscriptus est: Précis du système hiéroglyphique, pag. 72, his verbis ex-

posuit: L'idée *roi* est très souvent rendue, dans les textes hiéroglyphiques, par une *plante* dont l'espèce n'est point facile à déterminer, par un *segment de sphère*, et par la *ligne brisée* ou simplement la *ligne horizontale*:



La plante est un des homophones du trait recourbé *s*; le segment de sphère est un *t*, et la ligne brisée ou horizontale un *n*. Nous avons ici le mot *stn*, qui est la charpente même des mots coptes, *souten* memph; *souton* theb. m; *soutn* theb. qui signifient: *regere*, *dirigere*. J'ajoute que la transcription *hièratique* de ce groupe:




offre la plus frappante analogie avec celui qui, dans le texte *démotique* de Rosette, exprime le mot grec *βασιλεύς* *roi*:



groupe qu'on chercheroit vainement à lire *pouro*, *prro*, *pera*, *perra* ou *fouro*, comme on a cru d'abord pouvoir le faire. Le groupe hiéroglyphique répondant aux mots coptes *prro*, *prra*, *ouro*, est tout différent, et se lit simplement *ra*, ou bien, avec l'article, *pra*, et signifie *tête*, *chef*, comme le copte baschmourique *ra*, comme le mot thébain memphitique *ro*. Ce même groupe pris adjectivement veut dire, *principal*, *supérieur*, *capital*. Vocabulorum aegyptiacorum formas, de quibus hoc loco disputat auctor, ipse adjeci, atque ad formam hieraticam adscripsi *ston*, quum singulae quae in ea cernuntur litterae hieraticae aliis locis significent litteras *s*, *t*, *o* et *n*, atque igitur possit, ut etiam in scribendo hoc vocabulo ad eosdem sonos significandos abhibitae sint.

Id quoque tenendum est, litteram *p*, quao exstat in vocabulo coptico *pouro*, i. e. *rex*, proprie articulum generis masculini significare, eamque ob causam abjici, quum vocabulum transferatur ad genus femininum; in locum litterae *p* expulsae vero substitui litteram *t*, articulum generis feminini indicantem, ideoque vocabulum copticum ab *ouro* derivatum, quod reginam significet, scribi *touro*. Ergo *ouro* proprie significat imperantem, *pouro* imperatorem, *touro* imperatricem, *metouro* imperium, *erouro* imperare; *Scholtz* grammatica aegyptiaca; pag. 12. 14. Si vero paulo diligentius adtendimus usum vocabuli aegyptiaci:



statim litteram illam ϩ, quam *b* vel *p* esse putaverunt, quamvis vocabulum ad genus femininum quoque transferatur, tamen a vocabulo non abjici cernimus. Regina enim eodem vocabulo, quod generis feminini signo auctum est, significatur, his scilicet litteris:

Ut in verbis, quae in papyri Berolinensis quadragesimi secundi linea prima leguntur:

cleopatrae | reginae

Et in linea prima papyri Berolinensis tricesimi septimi:

neptis eius | cleopatrae | reginae | et | sororis ejus | cleopatrae

Quod certe suspicionem, litteram ϩ in illo vocabulo non esse litteram *p* vel *f* vocabuli coptici *pouro*, movere potest; nam ad vocabulum reginae non modo articulum generis feminini, verum etiam articulum generis masculini adscripsisse veteres Aegyptios, probabile non videtur. Aliud quid vero, quam articulum generis masculini, apud veteres Aegyptios significasse litteram *p* vocabuli *pouro*, non constat. Quamobrem conjectura illa, litteram ϩ in vocabulo regis significare *p*, aliquam dubitationem habere mihi videtur.

Nonnunquam vocabulum illud hieroglyphicum, quod regem significat, decurtatum, id est extremis signis, vel extremo saltem orbatum, reperitur, et conjunctum cum imagine apis, quae, ut Horapollo Phacnebythensis hieroglyphicorum libro primo, capite 62. tradit, in hieroglyphica Aegyptiorum scriptura significabat populum vel subditos; dicit enim: *λαὸν πρὸς βασιλέα πειθήνιον δηλοῦντες μέλισσαν ζωγραφοῦσι.* Quae vocabuli forma in stela Saulnieri cernitur; Champollion, seconde lettre a M. le Duc de Blacas; pag. 50. planche VIII. nro. 1:

princeps populi.

In scriptura hieratica paulo rudius exarata eadem comparent, ut in papyro Taurinensi, loc. cit. pag. 61. planche X. nro. 11:



princeps populi.

Reperitur verum etiam vocabulum integrum, quod supra repraesentatum est, cum hieroglyphicum, tum hieraticum, cum imagine apis conjunctum; loc. cit. pl. VIII. bis. nro. D. et pl. IX. nro. 13. Quas varias illius vocabuli formas hieroglyphicas ac hieraticas, tam nude scriptas, quam etiam cum imagine apis conjunctas, infra in tabula repraesentatas adjiciam.

Litteras enchorias fere quadraginta supra recensitas, quarum explicatio gravioribus argumentis exemplisque clarioribus niti videtur, in tabula A. huic paginae adjecta simul repraesentandas curavi, ut uno in conspectu lectores eas perlustrare possint. Quae litterarum formae tamen singulis in papyris paulum variatae reperiuntur, modo in longum protractae, modo constrictius exaratae, modo curatius, modo negligentius scriptae. Varios litterarum enchoriarum exarandarum modos ex papyrorum Berolinensium octodecim exordiis, quae in tabulis IX. X. et XI. repraesentata huic libello adjeci, cognoscere licet; ubi in papyro quadragesimo quarto litterae multo rotundiores magisque compressae apparent, in papyro quadragesimo tertio vero rudiores. Nonnunquam etiam litteris enchoriis intermixtae esse videntur hieraticae; quod, quo major inter multas litteras enchorias et hieraticas intercedit similitudo, eo facilius fieri potuit. In papyro enchorio Vaticano duodecimo *A.* nomen regis exstat, quod Psametichi esse conjecit Champollionus, ita exaratum in libro: Die Aegyptischen Papyrus der vaticanischen Bibliothek; aus dem Italiaenischen des Angelo Mai, von Ludwig Bachmann; Leipzig. 1827; pag. 25. tab. 3. nro. 23:



m - psmtk *

Quae hoc loco cernitur forma litterae *p*, maxime scripturae hieraticae propria est, eandemque, cum nudam, tum lineola auctam, deprehendimus in nomine hieratico regis Amenoftepis, id est: ab Amone probati, quod Graeci scripserunt ἀμενώφθης; quod nomen in papyro Taurinensi, Champollion seconde lettre, pl. VIII. nro. 4. hieratice ita exaratum est:



m - amnftp *

Litterae enchoriae quarum significatio explorata esse videtur.

No.	Value	No.	Value
1.	*a*	21.	*p*
2.	*b*	22.	*p*
3.	*o u*	23.	*p*
4.	*e o a*	24.	*r*
5.	*i*	25.	*r*
6.	*i e a*	26.	*s*
7.	*k*	27.	*s*
8.	*k*	28.	*s*
9.	*k*	29.	*s*
10.	*k*	30.	*t*
11.	*k*	31.	*t*
12.	*k*	32.	*t*
13.	*ch*	33.	*o*
14.	*l*	34.	*b*
15.	*m*	35.	*p*
16.	*m*	36.	*s*
17.	*n*	37.	*i*
18.	*n*	38.	*i*
19.	*n*	39.	*s*
20.	*p*	40.	*s*

Secunda nominis Psametichi littera, quae *s* significat, et enchoria est, et hieratica; de qua supra disputavi pag. 13. Tertia littera, quae *m* fortasse putanda est, formam hieraticam, at insolentiorem, habere videtur. Littera quarta est *t* hieraticum; quinta vero *k* et enchorium, et hieraticum, de qua supra dictum est, pag. 9.

Quod ad semicirculum adtinet, quem litteram *m* significare dixi pag. 10, dubitandum non est, quin plurimis locis, maxime ubi in mediis nominibus reperitur, ita explicandus sit; quod satis arguunt nomina:

m - ptlomios * lap. Ros. lin. 5.

m - ptlomis * pap. Berol. 46. lin. 1.

Sed etiam semicirculum illum nominibus propriis praescriptum, quem his quoque Ptolemaei nominibus antepositum videmus, re vera eandem significare litteram *m*, id in dubium vocari posse mihi videtur. De qua re ut recte judicetur, animadvertendum est, quae pro semicirculo illo enchorio nominibus propriis anteposito in litteratura hieroglyphica ac hieratica exarentur. Cernimus enim in hieroglyphicis nomina propria pleraque circulo circumscripta, qui ad bacillum saepenumero adnititur, hunc in modum:

* *rmss* *

Quae scribendi ratio eum in finem adhibita esse videtur, ut facilius nomen proprium a reliquis verbis distinguatur. Quod ut fiat eadem nominum propriorum indicandorum ratio in scriptura Sinensium recepta est. In hieraticis vero circulus ille distinguens atque bacillum non integre exarata conspiciuntur, sed quasi vestigia quaedam eorum, semicirculus scilicet nomini antepositum signaque aliquot ad finem nominis adjecta. Quae, ut pauca nomina ex multis in testimonium vocemus, videre licet in nomine regis Ramsis, quod in papyro hieratico Taurinensi exstat, Champollion seconde lettre à M. le duc de Blacas, tab. XII. nro. 16:

* *rmss* *

Et in nomine, quod in papyro hieratico Taurinensi legitur, loc. cit. pag. 44. 45. tab. VIII. nro. 3. regisque Amosis esse videtur:

* *ams* *

Quum scriptura hieratica fere ubique litteras signaque exhibeat, quae simplicius rudius-

que quam signa hieroglyphica, festinantiori quasi calamo, exarata sint, in eadem scriptura etiam circulum distinguentem atque bacillum decurtatos videri, non est quod miremur. Quodsi deinde ad enchorias scripturas transimus, eadem in his ut in hieraticis circuli distinguentis et bacilli vestigia comparere videntur, id est semicirculus nominibus antepositum et signa ad finem adjecta. Quae videre licet in nomine Alexandri, titul. Ros. lin. 2:

** alksandrs **

Arsinoës, titul. Ros. lin. 2:

** arsino **

Cleopatrae, papyr. Berol. 36. lin. 1:

** kloptr **

Ptolemaei, journal asiatique, cah. 14:

** ptolmis **

Ptolemaei, papyr. Berol. 36. lin. 1:

** ptlomis **

Berenices, journal asiatique, cah. 14:

** bernike **

Alexandri, journal asiatique, cah. 14:

** alksandrs **

Cleopatrae, papyr. Berol. 47. lin. 1:

** kloptr **

Berenices, papyr. Berol. 41. lin 1:

** brnk **

Cleopatrae, papyr. Berol. 44. b. lin. 1:

** kloptr **

Antigenis, Young Hieroglyph. tab. 32:

** antikns **

Quae ad finem nominum adjiciuntur, ut ex nominibus modo repraesentatis apparet, varie quidem exarata reperiuntur, significationem vero diversam habere non videntur. Nam etsi idem nomen in eodem casu positum sit, tamen signa ad finem nominis adjecta sin-

gulis in papyris diverso modo exarata cernuntur. Nomen Ptolemaei in genitivo positum exstat in papyri Berolinensis quadragesimi septimi linea prima ita scriptum:

* *ptloms* *

Idem vero Ptolemaei nomen in genitivo positum in papyri Berolinensis quadragesimi tertii a. linea prima hunc in modum exaratum est:

* *ptlomis* *

Atque aliter scripta conspiciuntur haec signa claudentia in nomine Ptolemaei in genitivo posito, quod legitur papyri Berolinensis tricesimi septimi linea prima ita exaratum:

ptolemaei | regis | III | pachon | 52 | anno

Aliterque in nomine Ptolemaei in genitivo posito, quod papyri Berolinensis tricesimi octavi linea prima legitur hunc in modum scriptum:

et | ptolemaei | regum | IV | tobi | 31 | anno

Quam ob causam signa illa claudentia, quae ad finem nominum adjiciuntur varie exarata, neque diverso modo pronuntianda, neque pro signis diversorum casuum habenda esse videntur. Quae in scripturis enchoriis frequentissima comparent id genus signa claudentia, haec fere sunt:

I. | VIII.
II. | IX.
III. | X.
IV. | XI.
V. | XII.
VI. | XIII.
VII. | XIV.

Quae, supra pag. 5. a me obiter memorata, in omnibus fere nominibus enchorie scriptis, maxime graecis, quae in hoc libello adhuc repraesentata sunt, conspicere licet.

Lingua Aegyptiorum recentiorum, scilicet coptica, diversos casus diverso vocabulorum nominumque exitu non significat; neque apud veteres Aegyptios exstitisse casus vocabulorum exitu diversos, quantum sciam, alicunde constat. Atque Augusto Guilelmo Schlegelio, qui bibliothecae indicae tomo secundo, pag. 314 — 318 de vocabulorum peregrinorum in linguam graecam romanamve receptorum declinatione disputavit, veteres Aegyptios diversos casus variato vocabulorum exitu non significasse, veri simile visum est; unde dicit: Die altægyptische Sprache ermangelte der Casusendungen.

Etsi vero quadraginta fere litterarum enchoriarum significatio satis certe explorata esse videatur, atque inde haud paucorum nominum vocabulorumque enchoriorum lectio patescat, multum tamen abest, ut hac re expedita scripturas enchorias integras legere vel pronuntiare possimus. Praeter illas enim quadraginta litteras alia permulta comparent signa enchoria, quorum significatio, ut mihi videtur, non constat, quoniam in nominibus propriis aliisve vocabulis, quorum pronuntiatio in aperto sit, adhuc reperta non sunt. Quae signa maxime in nominibus vocabulisque vere aegyptiacis adhibita conspiciuntur. Haud raro quidem fit, ut vocabulorum enchorie scriptorum significationem ex translatione aliqua graeca certe cognoscamus; sed pronuntiatio eorumdem vocabulorum aegyptiaca inde non patet, neque singulorum signorum, quibus haec vocabula scripta sunt, potestas. Vocabulum:

quod papyri Berolinenis tricessimi sexti linea prima legitur, servatorem significat; frequentissimum enim in papyrorum enchoriorum exordiis, quae praeter alios deos Ptolemaeos etiam deos servatores recensere solent, pro vocabulo graeco *σωτῆρες* positum reperitur. Vocabulum:

quod tituli Rosettensis linea vigesima quinta, sexta septimaque plus semel legitur, aurum significat; positum enim est pro vocabulo graeco *χρυσός*. Quomodo vero pronuntianda sunt vocabula haec aegyptiaca servatoris atque auri? et quam potestatem habent singula, quae in iis exarata cernuntur, signa? Haec sane in permultis id genus vocabulis non satis constare mihi videntur. Si quis dicat, novis his signis eandem significationem esse tribuendam, quae insit in litteris jam cognitis, quarum forma proxime accedat ad novorum

illorum signorum formam, respondendum est, hunc explicandi modum, si aliis subsidiis certioribus non adjuvetur, nulla aperire posse, quae fide digna sint. Omnibus enim fere in scripturis fieri videmus, ut litterae adhibeantur, quae forma similes, significatione vero dissimiles sint, quemadmodum apud Hebraeos litterae Resch et Daleth, et Caph et Beth, atque apud Graecos litterae Ny et Y psilon, etsi potestate prorsus diversae sint, forma tamen parum inter se differunt, et in scriptura paullum negligentius exarata vix a se invicem distingui queant. Quamobrem in explicanda aliqua scriptura peregrina, solam jam plurium litterarum formam, quum similis sit, similem quoque earum litterarum potestatem demonstrare, putari non potest. Saepenumero certe fit, ut parva quaedam formae diversitas significationem litterae plane mutatam indicet. Cujus rei etiam in legendis aegyptiacis scripturis, ut mihi videtur, memores nos esse oportet. Frequentissimum reperitur vocabulum enchorie scriptum, ac supra pag. 15. a me jam memoratum, quod sacerdotem significat:

ϩ ʔ υ

Quod vocabulum *nueh* pronuntiandum esse aliquot viri docti conjecerunt; qui fortasse litteram secundam significare vocalem u putaverunt, propterea quod hujus litterae uncinatae forma aliquantum accedat ad formam litterae uncinatae ſ, quae re vera, ut supra demonstratum est, vocalem u vel o significat. Qua in re tamen id animadvertendum mihi videtur, quod littera haec ſ, quae vocalis o est, uncum habeat ad dextram partem conversum, littera vero, quae in vocabulo sacerdotis exstat secunda, quantum sciam, semper munita reperiatur unco ad sinistram partem converso, igiturque diversitas quaedam formae constanter, ut videtur, retenta inter utramque litteram intercedat. Quapropter secundam litteram vocabuli sacerdotis pro vocali o habere nolim, donec argumenta certiora, quae eam potestatem litterae demonstrent, exposita sint.

Reperiuntur quoque vocabula enchoria, quae breviori quasi modo, non litteris, sed potius siglis scripta esse videantur; de quibus proximo capite dicetur.

CAPUT SECUNDUM.

DE SIGLIS ENCHORIIS.

Haud raro quidem in papyris enchoriis tituloque Rosettensi nomina vocabulaque deprehenduntur, quorum pronuntiatio ac significatio ex translationibus graecis pateat, quae vero ita scripta esse videantur, ut ex singulis, quae ad ea scribenda adhibita sint, signis pronuntiatio illa vix effici possit; quam ob causam id genus vocabula non per consequentias litterarum, sed potius per sigla manifestata esse videntur. Plurima eorum, quae in hunc numerum fortasse referenda sunt, vocabulorum paucioribus signis indicata sunt. Significant autem haec vocabula peculiari modo, ut videtur, scripta maxime nomina deorum aegyptiaca, aliaque vocabula solenniora, ut exempli gratia vocabulum anni. Quod ad nomina deorum aegyptiaca adtinet, nonnulla eorum, ut nomina *Amonis*, *Osiridis*, *Isidis*, *Ori*, Solisque cum in titulo Rosettensi, tum in papyris enchoriis scripta cernuntur, vel nude posita, vel in nomina propria hominum immissa.

Apud veteres enim populos, pietatis in deos causa, hoc in more positum erat, ut viris feminisque inderentur nomina, quae cum nominibus deorum composita essent, atque reverentiam deorum significarent. Hebraea id genus nomina sunt:

יהונתן	*Jehonathan*	i. e.	Jahu dedit.
ישעיהו	*Jeschajahu*	i. e.	Salus Jahui.
Phoenicia:			
עבד עשתרת	*Abdastartus*	i. e.	Servus Astartes.
אמת עשתרת	*Amatastarta*	i. e.	Ancilla Astartes.

Carthaginiensia:			
רניבעל	***Hannibal***	**i. e.**	**Gratia Domini.**
עזרבעל	***Hasdrubal***	**i. e.**	**Auxilium Domini.**
Arabica paganica:			
	Abd schems	i. e.	Servus Solis.
	Tcim ellât	i. e.	Mancipium Latae.
Arabica moslemica:			
	Abd errachmân	i. e.	Servus Misericordis
	Abd errassâk	i. e.	Servus Largitoris
Arabicum christianum:			
	Abd el messich	i. e.	Servus Messiae.
Syriaca christiana:			
	Baktjeschu	i. e.	Felicitas Jesu.
	Ebed jeschu	i. e.	Servus Jesu.
Aethiopica christiana:			
	Gabra christos	i. e.	Servus Christi.
	Laecha marjam	i. e.	Minister Mariae.
Persica:			
	Mehcrdâd	i. e.	Mithrae donum.
	Chordâd	i. e.	Solis donum.
Graeca:			
	Διόδωρος	i. e.	Jovis donum.
	Αρτεμίδωρος	i. e.	Artemidis donum.
Graeca christiana:			
	χριστοφόρος	i. e.	Christum portans.
	χριστόδουλος	i. e.	Christi servus.
Indica:			
	Indrasuta	i. e.	Indrae filius.
	Sivânanda	i. e.	Sivae gaudium.
Tataricum:			
	Tengri wirdi	i. e.	Deus dedit.

De quo loco bene egit Gesenius in commentario, qui est de libro Jesaiae, tomi secundi scilicet pagina 281. Graeci vero, quum hujus generis nomina peregrina graece transscriberent, nonnunquam neque sonum, neque significationem nominum peregrinorum accurate reddiderunt, sed aliquid graecum posuerunt, quod ad significationem nominis peregrini quodammodo accederet. Quod cognoscere licet ex nomine phoenicio בן חדש, *Ben chodesch*, i. e. filius novilunii, quod in cippo Atheniensi litteris phoeniciis exaratum legitur, eodem loco vero graece transscriptum est *νουμήνιος*; et ex nomine phoenicio עבד שמש, *Abd schemesch*, i. e. servus solis, quod in monumento sepulcrali Atheniensi litteris phoeniciis exaratum, ibidemque graece transscriptum est *ἡλιόδωρος*. De qua re videndum est *Augusti Boeckhii* corpus inscriptionum graecarum, vol. prim. fascicul. secund. pag. 523 et 527.

Neque non apud Aegyptios, assiduos deorum cultores, nomina propria hominum usitata fuisse, quae vel nomina deorum essent, vel nomina deorum continerent, proditum est a Luciano Samotensi. Qui in libro, qui pro imaginibus inscriptus est, postquam de nominibus propriis graecis deorum nomina continentibus verba fecerat, Aegyptiorum nomina quam plurima esse divina adjecit, his verbis utens: *ἐῶ γὰρ τοὺς αἰγυπτίους, οἵπερ καὶ δεισιδαιμονέστατοί εἰσι πάντων, ὅμως τοῖς θείοις ὀνόμασιν εἰς κόρον ἐπιχρωμένους. σχεδὸν γοῦν τὰ πλεῖστα αὐτοῖς ἐξ οὐρανοῦ ἐστιν.* Quam Luciani sententiam satis confirmant quae in titulis papyrisque vel graece vel aegyptiace scripta exstant Aegyptiorum nomina; ut quae in charta papyracea, a Nicolao Schowlo, Romae; 1788. edita, leguntur. Haec enim charta aliquot indices operariorum Aegyptiorum continet, qui variis locis in aggeribus vallisque ducendis operati erant; quorum indicum primus inscriptus est: *κάτανδρα τῶν ἀπεργασαμένων εἰς τὰ χωματικὰ ἔργα τεπλίνεως ἀπὸ μεχεὶρ ἰ ἕως ιά πτολεμαΐδος ὅρμου ἀνδρῶν ρπά αὐτοκατανδ...* i. e. index eorum qui laborem expleverunt in operibus vallaribus Tepliniticis, a die decimo mensis mechir ad undecimum, in Ptolemaïdis portu; virorum scilicet CLXXXI, qui viritim sunt. Atque Champollionus de nominibus divinis ab hominibus Aegyptiis usurpatis disputavit in libro: Précis du système hiéroglyphique; pag. 108. seqq. Cujus generis nomina sunt:

ὦρος.	Orus.
ὡράμμων.	Orus Amon.
σαραπάμμων.	Sarapis Amon.
σουχάμμων.	Suchis Amon.

πετάμμων.	*ὁ τοῦ ἄμμωνος.*	Amonius.
πετόσιρις.	*ὁ τοῦ ὀσίριδος.*	Osiriacus.
πέτησις.	*ὁ τῆς ἴσιδος.*	Isiacus.
πάησις.	*ὁ τῇ ἴσιδι.*	Isianus.
τάησις.	*ἡ τῇ ἴσιδι.*	Isiana.
πάνουφις.	*ὁ τῷ κνούφιδι.*	Cnuphianus.
τάνουφις.	*ἡ τῷ κνούφιδι.*	Cnuphiana.
ψενάμουν.		Filius Amonis.
ψένοσορ.		Filius Osiridis.
ἀμενώφθης.		Ab Amone probatus.
ἀμυνταῖος.		Amon dedit.
μάρις.		Donum Solis.
μέμνων.	*μειαμμοῦν.*	Amans Amonem.
ἀρσίησις.		Orus filius Isidis.

Quae quoque nomina aegyptiaca Graeci nonnunquam in graecum quodammodo transtulerunt, vel graece quasi reddita scripserunt; quemadmodum pro nomine *πετάμμων* vel *πετέμενος* interdum posuerunt *ἀμμώνιος*. Exstat Lutetiae Parisiorum monumentum sepulcrale aegyptiacum, in quo nomen defuncti hieroglyphicis litteris ita scriptum est:

  *p t m n.*

Graecis litteris vero idem nomen in eodem monumento ita adscriptum est:

πετέμενος ὁ καὶ ἀμμώνιος.

Vide Champollion Précis; pag. 344. seqq. Aegyptii autem hujus generis nomina aegyptiaca graecissantia nonnunquam etiam litteris aegyptiacis scripserunt; quod factum videmus in papyro Greyiano, Hieroglyphics, tab. 35. repraesentato, qui syngrapham continet, de emtione agri cujusdam Diospolitani conscriptam. In exactione vectigalis enim, quae huic papyro graece inscripta est, nomen venditoris graecis litteris exaratum legitur:

ἀμμώνιος;

idemque venditoris nomen in ejusdem papyri syngrapha enchoria litteris enchoriis ita scriptum cernitur:

a m o n i s.

Reperiuntur quoque nomina aegyptiaca, quae mixta esse videntur, vel ex vocabulis aegyptiacis et graecis composita, ut *ἰσίδωρος*, Isidis donum, et *ἡρακλοῦτ*, Heraclea

Sed videamus jam sigla enchoria, quibus nomina Deorum aegyptiaca aliaque vocabula significari videntur.

1. *Siglum* ʃʅ *significat Amonem.*

Pronuntiabatur etiam in legendo hoc siglum vel **amon**, vel **amn**, vel **emn**. Amonem Aegyptiorum deum Graeci eundem esse existimarunt, quem ipsi graece Δία vel Jovem nuncuparent, eamque ob causam saepenumero nomine Διός Amonem adpellaverunt. Quod Herodotus lib. sec. cap. 42. his verbis exponit: ἀμμοῦν αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία; et Diodorus Siculus, lib. prim.: Δία τὸν ὑπό τινων ἄμμωνα προσαγορευόμενον; et Plutarchus, lib. de Isid. et Osirid.: ἴδιον παρ' αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διός εἶναι τὸν ἀμοῦν, ὃ παράγοντες ἡμεῖς ἄμμωνα λέγομεν; et Jamblichus, de myster. sect. octav.: ἀμῶν κατὰ τὴν τῶν αἰγυπτίων γλῶσσαν λέγεται; atque alii, quos recensuit Jablonskius, in libro, qui Pantheon Aegyptiorum inscriptus est, part. prim. pag. 161.

Inde factum est in lapide Rosettensi, ut quo loco titulus graecus nomen Διός ponit, eodem titulus enchorius nomen Amonis exhibeat. Linea tertia enim tituli graeci rex Ptolemaeus adpellatur:

εἴκων ζῶσα τοῦ Διός.

Quae verba in linea secunda tituli enchorii aegyptiace ita scripta sunt:

ʃʅ | CI | Cʼʅʅ

amonis | viva | imago.

Vocabula enchoria hoc loco posita, quae imaginem et vitam significant, aliis quoque in locis tituli Rosettentis enchorii leguntur, linea scilicet prima, vicesima secunda, vicesima tertia, tricesima secunda, aliisque.

Amon vero deus in nonnullis titulis aegyptiacis graece scriptis cognomine Amonrasonteris, ἀμωνρασόνϑηρ, ἀμωνρασόντηρ, adpellatur. Quod cognomen usurpatum videmus in stela Taurinensi, de qua verba fecit Peyronius in libello, qui inscriptus est: Untersuchungen über Papyrusrollen, Koptische Handschriften und eine Stele mit dreyfacher Inschrift im kœniglichen ægyptischen Museum zu Turin. Bonn. 1824. p. 24. Exhibet enim haec stela sacerdotum Amonrasonteris Diospolitanorum decretum, quod honoribus publicis decorat Callimachum, epistolographum et gymnasiarcham de patria bene meritum. Quod ad significationem cognominis Amonrasonteris adtinet, satis apertum est, primam ejus partem, scilicet Amonra, significare Amonem Solem; *ra* enim, et

re, et *ri* solem nuncupabant Aegyptii. Alteram vero partem, quae est *sonter*, ex vocabulis aegyptiacis *schomt* et *ter* compositam esse, atque conditorem universi significare, loco modo laudato conjecit Peyronius. Nomen Amonrasonteris legitur etiam in antigrapho Greyiano, vel translatione graeca syngraphae enchoriae, quam supra memoravi pag. 3; epilogus enim antigraphi declarat, syngrapham exarasse scribam quendam, qui apud sacerdotes Amonrasonteris scribae munere functus esset. Cujus scribae nomen titulusque ita expositi sunt:

ὧρος φάβιτος
ὁ παρὰ τῶν ἱερέων τοῦ ἀμονρασόνθηρ καὶ τῶν συννάων θεῶν
μονογράφος.

Eadem verba enchorie scripta cernuntur in ipsa syngrapha enchoria, quam exhibent papyrus Casatianus, Hieroglyphics, tab. 32, atque papyrus Berolinensis tricesimus sextus. Nomen Amonrasonteris vero in papyro Berolinensi ita exaratus est:

Idem dei nomen in epilogo syngraphae enchoriae, quam exhibet papyrus Berolinensis quadragesimus primus, *b*, ab alio sacerdotum Amonrasonteris monographo exaratae, ita scriptum comparet:

Quae verba enchoria, modo curatius, modo negligentius exarata, in papyro Casatiano quoque ac multis papyris Berolinensibus exstant; plerumque enim Amonrasonteris sacerdotum monographi syngraphas emtionum exarasse videntur. Prima vero hujus Amonrasonteris nominis enchorie scripti pars idem est, ut adparet, siglum:

amon

quod Amonem significare supra dixi, quodque re vera *Amon* pronuntiasse veteres Aegyptios graeca hujus nominis scriptura ἀμονρασόνθηρ demonstrat. Secunda nominis pars, scilicet:

ra

est siglum solis, quem *Ra* nuncupabant Aegyptii; de quo siglo supra dixi, pag. 11. 12. ubi formam quoque sigli enchoriam articulo generis masculini auctam repraesentavi, scilicet:

pre.

Plura de hoc solis siglo infra dicentur. Prima igitur et secunda nominis Amonrason-

teris enchorie scripti pars sonum vocabuli aegyptiaci *Amonra* accurate exprimunt. Tertiae nominis partis quartaeque, scilicet siglorum:

et

quae vocabulum *sonter* repraesentant, significatio non aeque expedita est. Id tamen adparet, parti quartae magnam esse similitudinem cum vocabulo:

quod *deos* significat, et in papyris enchoriis, ut in papyro Berolinensi tricesimo sexto, frequentissimum legitur. Unde fortasse conjicere licet, integrum Amonrasonteris nomen enchorium supra repraesentatum cognationem satis magnam habere cum nomine Amonis hieroglyphico, a Champolliono exposito, Précis du système hiéroglyphique; planch. 18. nro. 368:

Quod nomen Champollionus interpretatus est: *Amon ra princeps deorum.*

Ad alia nomina nunc transeamus, quae pariter atque Amonrasonteris nomen nobis exhibent siglum Amonis. Exactiones vectigalis graece scriptae, quae in papyro Greyiano exstant prima et secunda, Hieroglyphics; sec. fascicul. tab. 34. plus semel exhibent nomen aegyptiacum Amenothis, ἀμενώθης. Quod nomen in ejusdem papyri syngraphis enchoriis, ad quas exactiones illae vectigalis graece scriptae pertinent, ita enchorie exaratum cernitur:

amenothes.

Prima hujus nominis pars, quae sonum *amen* exprimit, idem siglum est, quod Amonem significare dixi; alteram nominis partem, scilicet:

sonum *othes* Graecorum exprimere videmus etiam in exitu nominis Petenephotis, πετενεφώτης, quod in iisdem exactionibus vectigalis graece scriptum legitur, in syngraphis enchoriis vero hoc modo scriptum comparet:

petenephotes.

Nomen Amenothis vero, ἀμενώθης, idem est fortasse atque nomen Amenofthis, ἀμενώφθης, quod Aegyptiorum esse *Amoneftep*, ac significare: *Amoni probatum*, conjecit Champollionus, Précis, pag. 115.

Inter sedecim testium nomina, quae antigraphi graeci Greyiani exitus recenset, exstat etiam nomen Amonorytii, ἀμονορύτιος; quod nomen ejusdem syngraphae exemplar enchorium, scilicet papyrus Casatianus, Hieroglyphics; tab. 32. ita exaratum exhibet:

amonorytius.

Atque in altero ejusdem syngraphae exemplari enchorio, scilicet papyro Berolinensi tricesimo sexto, hoc idem Amonorytii nomen ita scriptum comparet:

amonorytius.

In tergo enim papyri Berolinensis sedecim testium nomina scripta leguntur. Hujus vero Amonorytii nominis enchorie scripti pars prima, quae sonum *amon* exprimit, siglum Amonis supra memoratum distincte repraesentat. Atque veri simillimum quoque videtur, re vera Amonorytii nomen continuisse Amonis dei nomen, quum multa id genus nomina propria, quae magni illius dei nomen continerent, veteribus Aegyptiis usurpata fuisse, constet.

In exactione vectigalis graece scripta, quae in papyro Greyiano exstat tertia, Hieroglyphics, tab. 35; legitur nomen Psenamunis, ψενάμουν, quod filium Amonis significat; *p* enim est articulus generis masculini, et *se* vel *sen* significat prolem; Champollion Précis, pag. 68. 109. Syngrapha enchoria vero, ad quam illa exactio vectigalis pertinet, Psenamunis nomen enchorie exaratum ita exhibet:

psenamun.

In quo nomine primo comparet littera *p*, quae articulum generis masculini significat; deinde siglum prolis, quod *se* vel *sen* pronuntiatur, ac denique siglum Amonis. Siglum prolis supra jam memoravi, pag. 15. Idem enchorium Psenamunis nomen eodem modo exaratum cernitur in papyri Berolinensis quadragesimi primi linea secunda. Feminina ejusdem nominis forma, scilicet Tsenamun, id est: filia Amonis, in syngrapha enchoria papyri Greyiani prima hoc modo scripta reperitur:

tsenamun.

Bina signa, quorum alterum hoc loco prolis siglum antecedit, alterum sequitur, articulum generis feminini, qui *t* vel *ti* pronuntiabatur, exprimunt; de qua re supra dixi, pag 19. Adjectum est siglum Amonis. Vocabula aegyptiaca *psen*, i. e. filius, et *tsen*, i. e. filia, quod Graeci saepe scribunt σεν, in multis aliis nominibus propriis deprehenduntur, ut in nominibus Psenchonsis, Tsenchonsis, Tsenerieus, Tsenpoëris, Tsenosor, Tsenosorphibis.

Siglum Amonis inesse videtur etiam in nomine enchorio Petemesti, πετεμέστους, quod graece scriptum legitur in antigrapho Greyiano et testium indice adjecto, Hieroglyph. tab. 33. Enchoric enim hoc nomen in eorundem testium indice enchorio, qui in papyro Casatiano exstat, Hieroglyphics, tab. 32. ita exaratum cernitur:

[enchorial characters] *petemestus.*

Atque idem nomen in papyro Berolinensi tricesimo sexto hoc modo scriptum est:

[enchorial characters] *petemestus.*

Prima hujus nominis pars, scilicet [enchorial characters], significat syllabam *pet*, multisque in nominibus enchoriis comparet, ut in nominibus Petosiris et Petearpris supra, pag. 11. repraesentatis; respondere videtur hieroglyphico [hieroglyphs], quod in nomine Petamonis hieroglyphice scripto, Champollion Précis, tab. 10. nro. 154. 155. 156. syllabam *pet* repraesentat. Secunda nominis Petemesti pars est siglum Amonis, de quo supra disputavi; repraesentare autem videtur hoc loco eam nominis Petemesti syllabam, quam Graeci, fortasse haud satis accurate sonum ægyptiacum reddentes, scripserunt ἐμέ. Contraxisse nonnunquam Graecos nomina ægyptiaca ex eo adparet, quod pro ægyptiaco *Meiamun*, i. e. amans Amonem, scripserint μέμνων; Champollion Précis; pag. 233. Id etiam animadvertendum est, idem nomen ægyptiacum Græcos et πετάμμων, et πετέμενος scripsisse. De Amonis siglo in nominibus propriis reperiendo videnda quoque sunt, quae scripsit Youngius In libro: Account of some recent discoveries, pag. 129.

Ad alia sigla nunc transeo, de quibus, ne nimiam in molem accrescat disputatio, strictius dicam.

2. Siglum [enchorial characters] significat *Solem.*

Pronuntiabatur hoc siglum *ra* et *re*, quae nomina solis ægyptiaca sunt. Nonnullis locis siglum cum adjecto generis masculini articulo ita scriptum reperitur:

[enchorial characters]

quod pronuntiabatur *pre.* Secunda tituli Rosettensis græci linea Ptolemaeus rex honoris causa *soli similis* adpellatur:

καθάπερ ὁ ἥλιος.

Quae verba tituli enchorii linea prima ita ægyptiace scripta sunt:

[enchorial characters] ⋮ [enchorial characters]

sol ⋮ sicut.

Deinde idem solis siglum in nomine enchorio Amonrasonteris cernitur:

sonter | ra | amon.

De quo nomine supra, pag. 30. 31. dictum est. Idem quoque solis siglum exstare videtur in nomine Petearpris, πετεάρπρης, quod supra pag. 11. memoravi. Græce scriptum legitur hoc nomen in antigrapho Greyiano, Hieroglyphics, tab. 33; atque enchorie in papyro Casatiano, Hieroglyphics, tab. 32. hoc modo exaratum:

pre | ar | pet.

Cujus nominis pars secunda, quae syllabam *ar* vel *or* repræsentat, nomen dei Hori vel Ori quoque significat; quod demonstrabitur infra. Youngius quidem non πετεάρπρης, sed πετεάρτρης in antigrapho Greyiano scriptum esse putavit. At potius πετεάρπρης legendum esse non modo enchoria hujus nominis scriptio suadet, verum etiam nomen Petearpris hieroglyphicum a Champolliono expositum, Précis, pag. 124; quod nomen hieroglyphicum ex iisdem, quibus nomen enchorium, particulis constat, scilicet syllaba *pet* et nominibus Hori et Solis. Ita enim nomen hieroglyphicum comparatum est:

vir | pre | or | pt

Quae his verbis illustrat Champollionus: Ce nom propre est celui du défunt mentionné dans le papyrus hiéroglyphique appartenant au comte de Mountnorris. Il est formé du monosyllabe *pet*, du nom symbolique d'Horus, de l'article masculin *p* ou *f*, et du nom figuratif du dieu *re*, le soleil, et se termine, comme tous les noms propres d'hommes déjà cités, par le caractère figuratif *homme*. Ces élémens réunis forment le nom propre *pethorpre*, *petharpre*, ou *petharphre*, *celui qui est à Horus et au soleil.*

Linea tertia tituli Rosettensis graeci Ptolemæus rex victor a sole adjutus adpellatur his verbis:

ᾧ ὁ ἥλιος ἔδωκεν τὴν νίκην.

Quæ in apographo tituli Rosettensi enchorii Monacensi ita enchorie exarata cernuntur:

victoriam | dedit | sol.

5 *

Hoc loco idem solis siglum, de quo supra disputavi, articulo generis masculini auctum comparet. Paulo negligentius vero hic solis siglum in lapide exaratum esse videtur, si fidem habemus apographo tituli Rosettensis enchorii Londinensi, quod libro *Hieroglyphics* a Youngio edito insertum reperitur. In eo enim apographo, linea scilicet secunda, illa verba enchoria ita scripta cernuntur:

victoriam ⁞ dedit ⁞ sol

Atque etiam *filius solis* Ptolemaeus rex tituli Rosettensis graeci linea tertia adpellatur:

υἱὸς τοῦ ἡλίου.

Quae verba in utroque tituli enchorii apographo, cum Monacensi, tum Londinensi libro: *Hieroglyphics* inserto, enchorie ita scripta sunt:

solis ⁞ filius

Quo loco eadem sigli solis forma imperfectior, quam modo memoravi, comparet. Id quoque tenendum, in apographis lapidis Rosettensis plerasque litterarum siglorumque formas paulo rudius exaratas reperiri, perfectiores vero et elegantiores in permultis papyris enchoriis cerni. Quod eo factum esse videtur, quod in durum lapidem elegantiores litterarum ductus incidere difficilius esset, quam in papyris litteras pingere, et quod temporis decursu multi litterarum ductus, quos in lapidem Rosettensem inciderunt, jam attriti sint.

3. Siglum significat Osiridem.

Reperiuntur vero etiam hae sigli formae:

Pronuntiabatur hoc siglum *osir* et *osor*. Decima tituli Rosettensis graeci linea Ptolemaeus rex comparatur Horo patris defensori, ubi haec verba graeca leguntur:

ὥρος ὁ τῆς ἴσιος καὶ ὀσίριος υἱὸς
ὁ ἐπαμύνας τῷ πατρὶ αὐτοῦ ὀσίρει.

Quae tituli enchorii linea sexta ita enchorie scripta sunt:

⁞ osiridis ⁞ isidis ⁞ orus

osiridem ⋮ patrem ⋮ suum ⋮ defendens

Nomen Osiridis dei continet etiam nomen proprium aegyptiacum Petosiris, quod eum qui Osiridi est, vel Osiriacum significat. Quod nomen proprium graece scriptum *πετόσιρις* in antigrapho Greyiano, Hieroglyphics, tab. 33. legitur, atque in papyro Casatiano, Hieroglyphics, tab. 32. hoc modo enchorie scriptum reperitur:

pt - osir.

Idem enchorium nomen in eodem testium indice, qui etiam in tergo papyri Berolinensis tricesimi sexti inscriptus est, paulo rudius ita exaratum cernitur:

pt - osir.

In utraque vero nominis forma et syllaba *pt* et siglum Osiridis satis distincte designata sunt.

Deinde siglum Osiridis etiam in nominibus enchoriis Senosorphibis et Osoroëris conspicitur. Graeci enim Osiridis nomen aegyptiacum aliis locis *ὄσιρ*, aliis *ὄσορ* scripsisse videntur, quoniam pronuntiatio inter utrumque fluctuaret, quemadmodum nomen quoque deae Athyr et *ἀθὺρ* et *ἀθὼρ* scripserunt. Nomen proprium aegyptiacum, quod Graeci scripserunt Senosor, *σενόσορ*, *prolem Osiridis* significare videtur, et articulo generis masculini auctum, scilicet Psenosor, *filium Osiridis*, articulo generis feminini vero auctum, id est Tsenosor, *filiam Osiridis*; *sen* enim, ut supra exposui, prolem significat. Atque nomen proprium, quod Graeci scripserunt Osoroëris, ex nomine Osiridis et nomine Oëris compositum esse videtur. Ita Osiridis dei nomen etiam in nominibus hominum Osortasen et Osorschet hieroglyphice scriptis deprehendit Champollionus, qui de hac re disputavit, Précis, pag. 118. 119. Unde fit ut, si nominis Senosorphibis formam enchoriam diligentius inspiciamus, siglum Osiridis enchorium in eo deprehendamus. Quod nomen, feminam designans, graece scriptum *σενοσορφίβις* in papyro Greyiano, Hieroglyphics, tab. 34. bis legitur, atque in eodem papyro hoc modo enchorie repraesentatum cernitur:

sen - osor - fib.

Haec autem forma ex partibus tribus constat, scilicet:

sen vel *tsen*, *filia;* quod est prolis siglum articulo generis feminini auctum;

osor; quod Osiridis siglum est;

fib, vel Phibis; de quo nomine supra, p. 15. dixi.

Nomen proprium Osoroëris, ὀσορόηρις, graece scriptum legitur in antigrapho Greyiano, Hieroglyphics, tab. 33; idemque in papyro Casatiano, Hieroglyphics, tab. 31. hoc modo enchorie scriptum conspicitur:

osor - oër.

Atque in papyro Berolinensi tricesimo sexto, linea scilicet tertia, ita exaratum est:

osor - oër.

Quod Osoroëris nomen graece scriptum etiam in exactione vectigalis graeca legitur, quae in ima parte papyri Berolinensis quadragesimi inscripta cernitur; scriptura graeca negligentius exarata haec est:

οσοροηριος.

Nomen emtoris enim, ad quem exactio vectigalis pertinet, est ὀσορόηρις τοῦ ὥρου. Atque ejusdem papyri Berolinensis syngrapha enchoria emtoris Osoroëris nomen ita repraesentatum exhibet, linea scilicet septima:

osor - oër.

Quibus nominis Osoroëris enchorii tribus in formis Osiridis siglum ut prima nominis pars satis distincte exaratum deprehenditur. Altera nominis pars, quae syllabam *oër* repraesentat, idem significans quoque in nomine enchorio Senpoëris reperitur. Quod nomen σενπόηρις, id est: *filia Poëris*, feminam designans, in antigrapho Greyiano, Hieroglyphics, tab. 33. graece scriptum plus semel legitur, et in papyro Casatiano papyroque Berolinensi tricesimo sexto ita enchorie scriptum est:

tsen - p - oër.

Prima nominis pars, quae *tsen*, i. e. filiam significat, supra memorata est; secunda est littera *p*, vel articulus generis masculini; tertia est siglum vocabuli *oër*.

4. Siglum significat deum *Phtha*.

Aegyptiorum deus Phtha, cujus nomen Copti scribunt Ptah, Champollion Précis, pag. 96. 97. a Graecis nonnunquam Hephaestus adpellatus est, a Romanis Vulcanus;

quod multi veterum librorum loci demonstrant. Cicero in opere, quod est de natura Deorum, libro tertio, cap. 22. dicit: secundus Vulcanus in Nilo natus, Phthas, ut Aegyptii adpellant, quem custodem esse Aegypti volunt; et Eusebius praeparationis evangelicae libro tertio; cap. 11: *τὸν δὲ ϑεὸν τοῦτον, (κνὴφ) ἐκ τοῦ στόματος προΐεσϑαί φασι ὠὸν, ἐξ οὗ γεννᾶσϑαι ϑεὸν, ὃν αὐτοὶ προσαγορεύουσι φϑᾶ, οἱ δὲ ἕλληνες ἥφαιστον, ἑρμηνεύειν δὲ τὸ ὠὸν τὸν κόσμον;* et Clementinorum auctor, homilia nona, paragraph. 6: *αἰγύπτιοι δὲ ὁμοίως πράξαντες, καὶ τὸ πῦρ ἰδίᾳ διαλέκτῳ φϑὰς καλέσαντες, ὃ ἑρμηνεύεται ἥφαιστοι, οὗ τῷ ὀνόματι καὶ ὁ παῤ αὐτοῖς πρῶτος βασιλεύσας προσαγορεύεται;* atque Jamblichus in libro, qui est de mysteriis Aegyptiorum, sect. octav. cap. 3. haec prodit: *ὁ γὰρ δημιουργικὸς νοῦς — ἀμῶν κατὰ τὴγ τῶν αἰγυπτίων γλῶσσαν λέγεται. συντελῶν δὲ ἀψευδῶς ἕκαστα καὶ τεχνικῶς μετ' ἀληϑείας φϑά. ἕλληνες δὲ εἰς ἥφαιστον μεταλαμβάνουσι τὸν φϑὰ, τῷ τεχνικῷ μόνον προσβάλλοντες.* Suidas quoque dicit: *φϑὰς ὁ ἥφαιστος παρὰ μεμφίταις*; et videndus etiam est Schenutius, concionator Coptus, Zoega catalog. codicum copticor. pag. 455. seqq. Unde fit, ut in titulo Rosettensi graeco idem deus modo *ἥφαιστος*, modo *φϑὰς* nuncupetur. Cujus tituli linea secunda Ptolemaeus rex honoris causa deo Phtha similis dicitur his verbis:

καϑάπερ ὁ ἥφαιστος;

quae tituli enchorii linea prima aegyptiace ita scripta sunt:

ptah ⁝ sicut

Linea tertia tituli graeci Ptolemaeus rex deo Phtha probatus adpellatur:

ὃν ὁ ἥφαιστος ἐδοκίμασεν;

quae tituli enchorii linea secunda aegyptiace hoc modo scripta cernuntur:

a ptah ⁝ probatus.

Nomen vero hieroglyphicum idem significans recensuit, idque *ftep - an- ptah*, id est: probatus a Phtha, pronuntiandum esse conjecit Champollionus, Précis; p. 118. planch. nro. 340. Linea quarta tituli Rosettensis graeci Ptolemaeus rex nuncupatur:

ἠγαπημένος ὑπο τοῦ φϑᾶ;

quod linea secunda tituli enchorii ita scriptum est:

amatus ⁝ a ptah

Pronuntiandum est fortasse *ptah-mai*, i. e. deo Phtha amatus; quemadmodum reperitur hieroglyphice scriptum nomen *amon-mai*, i. e. deo Amon amatus; Champollion Précis, pag. 116; planch. nro. 164. Iterumque Ptolemaeus rex tituli Rosettensis graeci linea octava adpellatur:

ἠγαπημένος ὑπὸ τοῦ φθᾶ;

quod linea quinta tituli enchorii ita repraesentatum est:

amatus ⁞ a ptah

Quae hoc loco ad finem nominis adjecta syllaba *amatum* significat, eadem nomini praemissa *amantem* exprimere solet; ut fit in vocabulo, quod linea quarta tituli enchorii legitur:

patris ⁞ amans

φιλοπάτωρ;

atque in vocabulis enchoriis, quae Philadelphum et Philometorem significant.

5. Siglum significat Horum.

Pronuntiabatur et *or*, et *ar;* quod nomina propria hominum graece scripta demonstrant, quae hujus dei nomen continent. Linea decima tituli Rosettensis graeci haec verba leguntur, jam supra, pag. 36. excitata:

ὧρος ὁ τῆς ἴσιος καὶ ὀσίριος;

quae in titulo enchorio, scilicet linea sexta, aegyptiace ita scripta sunt:

osiridis ⁞ isidis ⁞ orus

Nomen emtoris in antigrapho Greyiano, Hieroglyphics, tab 33. et in exactione vectigalis, quae in ima parte papyri Berolinensis tricesimi sexti legitur, ut exposuit Buttmannus in libro: Erklärung der griechischen Beischrift, graece scriptum est:

ὧρος ὥρου;

enchorie vero in papyri Berolinensis tricesimi sexti linea secunda hoc modo exaratum est:

or ⁞ n ⁞ or

Nomen venditoris, ad quem pertinent antigraphum Greyianum et exactio vectigalis Berolinensis modo memorata, est:

ὀννωφρις ὥρου;

quod in papyri Berolinensis tricesimi sexti linea secunda ita exaratum cernitur:

or ⋮ n ⋮ onnofer

Emtoris atque venditoris frater in antigrapho Greyiano adpellatur:

ἅσως ὥρου;

quod in papyri Berolinensis tricesimi sexti linea tertia et quarta aegyptiace ita scriptum est:

or ⋮ n ⋮ asos

Alii etiam viri, quibus nomen Ori erat, in antigrapho Greyiano memorantur, scilicet *ὧρος χιμνάραυτος*, atque pater hominis cujusdam, qui adpellatur *ὀσορόηρις ὥρου*, paterque alius hominis, qui adpellatur *πετεαρποχράτης ὥρου;* quorum Ororum omnium nomen et in papyro Berolinensi tricesimo sexto, et in papyro Casatiano ubique eodem siglo repraesentatum est. Hoc vero siglum in nominibus compositis quoque, quae dei Hori nomen continere videntur, ut in nominibus Arsiesis, Petearpris et Petearpochratis deprehenditur. Nomen *Arsiesis* significare Horum filium Isidis exposuit Champollionus, Précis, pag. 109. 128; ubi etiam hujus nominis scribendi rationem, quae in scripturis hieroglyphicis reperitur, breviter explicavit. Graece scriptum hoc nomen *ἀρσίησις* in antigrapho Greyiano, Hieroglyphics, tab. 33. plus semel legitur; enchorie vero in papyri Berolinensis tricesimi sexti linea tertia hoc modo exaratum cernitur:

isidis ⋮ orus

Syllaba *si*, quae in Arsiesis nomine inter nomina Ori et Isidis intercedit, vocabulum aegyptiacum, quod natum significat, esse videtur; Champollion Précis, p. 128. Petearpris nomen, de quo supra pag. 34. 35. disputavi, in antigrapho Greyiano, Hieroglyphics, tab. 33. graece scriptum legitur *πετεάρπρης*, atque idem in papyro Casatiano, Hieroglyphics, tab. 32. enchorie ita exaratum est, ut Hori siglum in eo distincte repraesentatum appareat, hunc scilicet in modum:

pre ⋮ or ⋮ pt

Nomen Petearpochratis vero, πετεαρποχράτης, quod in eodem antigrapho Greyiano graece scriptum exstat, in papyro Casatiano hoc modo enchorie exaratum cernitur:

pchrat | or | pt

Quae hoc loco vocabulum *pchrat* repraesentant signa, eadem etiam in forma enchoria nominis Chapochratis, χαποχράτης, usurpata videmus. Graece scriptum legitur hoc Chapochratis nomen in antigrapho Greyiano et in exactione vectigalis, quae imae parti papyri Berolinensis quadragesimi inscripta est; enchorie vero idem nomen in papyro Casatiano, Hieroglyphics, tab. 31. et in papyro Berolinensi tricesimo sexto, lin. 3. atque in papyro Berolinensi quadragesimo, lin. 6. 13. 14. ita exaratum est:

pchrat | cha

Id denique monendum est, dici posse fortasse, siglum Ori veris litteris scriptum esse, quum prima hujus sigli pars, scilicet [signum], ut supra pag. 5. 6. exposui, litteram *a* significare soleat, atque lineola adjecta ad formam litterae *r* quodammodo accedat.

6. Sigla [signum] et [signum] Isidem significare videntur.

Verba enim graeca, quae tituli Rosettensis graeci linea decima leguntur:

ὧρος ὁ τῆς ἴσιος καὶ ὀσίριος

in tituli Rosettensis enchorii linea sexta ita aegyptiace scripta exstant:

osiridis | isidis | orus

Littera uncinata, quae hoc loco ad sigla Ori et Isidis adscripta cernitur, utrum ipsius sigli pars sit, an aliud quid significet, satis perspectum non habeo; aliis enim in locis, ut supra demonstravi, ad siglum Ori littera illa uncinata adscripta non reperitur. Neque in nomine enchorio Arsiesis eam repperi, quod Isidis nomen continere verisimillimum tamen videtur. Arsiesis nomen, ἀρσίησις, graece scriptum exhibet antigraphum Greyianum, Hieroglyphics, tab. 33. atque idem nomen papyrus Berolinensis tricesimus sextus plus semel hoc modo enchorie repraesentatum:

isidis | orus

et papyrus Casatianus, Hieroglyphics, tabb. 31. 32. ita scriptum:

isidis | orus

Graece scriptum quoque reperitur hoc nomen in papyro Greyiano, Hieroglyphics, tab. 85. et enchorie eadem, quae modo exposita est, ratione exaratum eodem loco, linea scilicet undecima. Pleniorem hujus sigli expositionem nova, quae reperientur, dabunt exempla.

7. Siglum deum significat.

Saepenumero hoc siglum cum articulo generis masculini conjunctum reperitur, hac scilicet ratione scriptum:

deus.

Quum generis feminini signum adpositum est, deam significat, ita exaratum:

dea.

Pluralis vero plerumque hoc modo repraesentatus cernitur:

dei.

Sed etiam aliae pluralis formae reperiuntur permultae, quae ad similitudinem formae modo repraesentatae plus minus accedunt. In lapide Rosettensi enim pluralis enchorius hac ratione exaratus cernitur:

dei.

In papyro Parisiensi vero, qui in libro: Journal asiatique, cah. 13. 1823. repraesentatus est, haec pluralis forma usurpata exstat:

dei.

Linea decima tituli Rosettensis graeci Ptolemaeus rex honoris causa adpellatur:

θεὸς ἐκ θεοῦ καὶ θεᾶς;

quae verba tituli enchorii linea sexta ita enchorie scripta exhibet:

deae | dei | proles | deus

Tertia tituli Rosettensis graeci linea Ptolemaeus rex salutatur:


ἔκγονος θεῶν φιλοπατόρων

quae in linea secunda tituli enchorii ita repraesentata cernuntur:

philopatorum | deorum | filius

6 *

Atque ita frequentia in lapide Rosettensi dei deorumque sigla enchoria reperiuntur, ut alia eorum exempla hoc loco adponere superfluum videatur. Neque in papyris haec sigla desiderantur. Et singularem et pluralem exordium exhibet papyri Berolinensis tricesimi septimi ita exaratum:



Alia pluralis exempla in exordio papyri Berolinensis tricesimi octavi, et in exordio papyri Berolinensis tricesimi sexti infra repraesentandis reperiuntur.

Siglum autem hoc in numero singulari positum fortasse *noo* pronuntiandum esse, conjecit Youngius, in Mus. critic. nro. VI. pag. 175; prima enim sigli littera *n* significare posse ei videbatur, atque vocabulum *noo* quodammodo ad *nouti* accedere, quo nomine Deum adpellant Copti. Sed id quoque animadvertendum est, primam illam litteram, quam *n* esse putavit Youngius, saepenumero a siglo abesse, quod ex exemplis supra adpositis adparet; eandemque ob rem pronuntiationem *noo* admodum dubiam videri.

8. Siglum sacerdotem significat.

Aliae singularis formae sunt:

sacerdos

et: *sacerdos*

Femininum genus significat:

sacerdotissa;

numerum pluralem vero:

sacerdotes.

Verba graeca *ἱερέως ἀλεξάνδρου*, quae tituli Rosettensis graeci linea quarta leguntur, tituli enchorii linea secunda ita enchorie scripta exhibet:

alexandri | sacerdos

Titulum sacerdotis Alexandri in exordiis syngrapharum saepe adposuisse Aegyptios, Nechutis syngrapha graeca, a Boeckhio edita, demonstrat; qua haec quoque verba leguntur:

ἐφ' ἱερέως τοῦ ὄντος ἐν ἀλεξανδρείᾳ ἀλεξάνδρου καὶ θεῶν σωτήρων.

Quam ob causam etiam papyrorum Berolinensium enchoriorum exordia Alexandri deorumque Ptolemaeorum sacerdotis siglum exhibent. Papyri tricesimi octavi exordium hoc est:

et | ptolemaei | regum | IV | tobi | 31 | anno

cleopatrae | et | ptolemaei | liberorum | sororis ejus | cleopatrae

servatorum | deorum | alexandri | sacerdotis | et | epiphanum | deorum

Videndum quoque est papyri Berolinensis tricesimi septimi exordium supra pag. 000. repraesentatum, atque exordium papyri Berolinensis tricesimi sexti infra repraesentandum, in quo utroque sacerdotis siglum comparet.

9. Siglum *annum* significat.


Rudior hujus sigli forma et festinantiori calamo exarata, quae circulum linea superscripta auctum mutat in punctum, haec est:

annus.

Antigraphum Greyianum graecum haec prima habet verba:

ἔτους λϛ' ἀθὺρ ιη'.


Atque papyrus Berolinensis tricesimus sextus, cujus interpretationem exhibet antigraphum Greyianum, his verbis enchorie scriptis exorditur:



In quo exordio etiam sacerdotis siglum, atque siglum vocabuli deorum, de quibus supra disputatum est, comparent. Medio vero in antigrapho Greyiano tempus, quo emtio facta est, iterum significatur his verbis:

ἐν τῷ λϛ' ἀθὺρ ἐπὶ βασιλέως αἰωνοβίου;

ubi quoto mensis Athyr die emtio facta sit, non adjicitur. Eadem prorsus ratione in medio papyro Berolinensi quoque tricesimo sexto haec temporis emtionis significatio repe ita legitur, quae diei numerum praetermittit:



Rudior hoc loco usurpata est forma sigli annum significantis, quae etiam in papyro Greyiano, Hieroglyphics, tab. 34. syngraph. A. lin. 14. et syngraph. B. lin. 12. et in exordio papyri Berolinensis quinquagesimi, aliisque locis scripta reperitur. Vocabulum enchorium, quod regem significat, in loco papyri Berolinensis tricesimi sexti modo re-

praesentato vetustate paene evanuit, distincte scriptum vero deprehenditur in eodem papyri Casatiani loco, Hieroglyphics, tab. 31.

Siglum anni, de quo hoc loco disputatum est, etiam in litteratura hieroglyphica usurpatum reperitur Champollionus in libro, qui inscriptus est: Bulletin universel; septième section; Paris, 1824. Septembre, Octobre, tria haec sigla hieroglyphica in monumentis pluribus comparentia:

annus. *mensis.* *dies.*

his verbis explicavit: Le croissant du mois est différent du croissant ou ligne courbe du signe année et du signe jour. Cette différence est capitale. Le croissant du mois est tout-à-fait celui de la lune, et l'on ne pouvoit mieux indiquer l'idée du mois. Les deux autres croissans de l'année et du jour sont tout simplement deux courbes. Il en résulte que le soleil étant en Egypte le régulateur du temps civil, son disque devint le signe d'espèce de ses divisions qui étoient le jour, le mois et l'année, comme partout ailleurs. Ainsi à ce signe d'espèce de chacune de ces divisions, le disque du soleil, on ajouta un signe déterminatif particulier à chacune. La crosse ou sceptre recourbé fut ce signe pour l'idée année; le croissant de la lune pour l'idée mois; et le chiffre 1 (un soleil) pour le mot jour. Exempla quoque horum siglorum adposuit Champollionus in monumentis reperta; ex quibus est monumentum sepulcrale Lutetiae Parisiorum adservatum, in quo actas quam homo defunctus exegit hieroglyphice ita significata est:

anni 77 menses 9 dies 20

Uncus enim et linea signa numeralia hieroglyphica sunt, quorum alterum decem, alterum unum significat.

Idem anni siglum, a forma hieroglyphica leviter deflexum, etiam in litteratura hieratica usurpatum cernitur; quod cognoscere licet e libro Champollioni: Seconde lettre à Mr. le duc de Blacas; tabb. x. xii. xv. Quid vero significent lineolae, quae in scripturis enchoriis siglo anni nonnunquam praescribebantur, ut in exordio papyri Berolinensis tricesimi sexti supra, pag. 46. repraesentato factum est, certe exploratum non habeo: significant fortasse praepositionem *in*, quam Champollionus in exordiis hieraticis deprehendere sibi visus est, loco modo laudato, pag. 68.

10. Siglum sempervivum significat.

Octava tituli Rosettensis graeci linea haec leguntur verba:

πτολεμαίου αἰωνοβίου ἠγαπημένου ὑπὸ τοῦ φθᾶ

quae linea quinta tituli enchorii ita repraesentata cernuntur:

amatus ⋮ ptah ⋮ a ⋮ sempervivus ⋮ ptolemaeus

Nomen sempervivi in titulo Rosettensi graeco plus semel regi Ptolemaeo tributum eodem ubique siglo in titulo enchorio significatum reperitur. Cujus sigli rudior quaedam forma, et festinantius fortasse exarata, in loco papyri Casatiani supra, pag. 46. repraesentato exstat. Si quis dicat, hoc vocabulum sempervivi enchorium siglum non esse, sed veras litteras continere, eum prorsus quidem refellere non possum; at id tamen scio, me signa illa, ex quibus vocabulum sempervivi constat, ut veras litteras usurpata aliis locis nondum deprehendisse.

Quod si quaeratur, unde sumta et qua ratione condita sint sigla haec enchoria, de quibus modo disputavi, fortasse respondendum erit, sigla ea enchoria esse formas simpliciores et rudiores siglorum hieroglyphicorum easdem res significantium. Exposuit enim repraesentandaque curavit Champollionus in libro: Précis du système hiéroglyphique; planches, Nro. 5. aliisque hujus libri locis vocabula quaedam hieroglyphice scripta, quae sigla esse ei visa sunt, quibusque similitudo satis magna cum siglis enchoriis a me expositis intercedit. Quod ut melius perspiciatur sigla illa hieroglyphica cum enchoriis easdem res significantibus collata in tabula B. huic paginae adjecta repraesentavi.

Alia vocabula quaedam enchoria, quae ita breviter significantur, ut sigla fortasse ea habenda sint, in tabula C. exarata adjeci; quorum significationem in tabula adscriptam proxima commentatione uberius demonstrabo.

Siglis adnumerari posse videntur etiam signa enchoria, quae nomina mensium Aegyptiorum in syngraphis enchoriis significare solent. Haec enim mensium signa ex signis trium tempestatum atque numeris composita sunt, qui singulos tempestatum menses numerant. Veteres auctores jam tradiderunt, in tres partes annum ita descripsisse Aegyptios, ut quatuor menses justum quoddam temporis spatium complerent. Diodorus Siculus, quae Hermes Aegyptius instituerit enarrans, libro prim. cap. 16. dicit: *τὸν ἑρμῆν — λύραν τε εὑρεῖν, ἣν ποιῆσαι τρίχορδον, μιμησάμενον τὰς κατ' ἐνιαυτὸν ὥρας. τρεῖς γὰρ αὐτὸν ὑποστήσασθαι φθόγγους, ὀξὺν καὶ βαρὺν καὶ μέσον· ὀξὺν μὲν ἀπὸ τοῦ θέρους, βαρὺν δὲ ἀπὸ τοῦ χειμῶνος, μέσον δὲ ἀπὸ τοῦ ἔαρος;* atque de veteribus

Sigla aliquot enchoria
cum hieroglyphicis comparata.

ad pag. 48. *tab.* B.

	enchorium.	*hieroglyphicum.*	*significatio.*
1.			*amon.*
2.			*sol.*
3.			*osiris.*
4			*phtha.*
5.			*orus.*
6.			*isis.*
7.			*deus.*
8.			*sacerdos.*
9.			*annus.*
10.			*sempervivus.*

Vocabula enchoria alia perbreviter scripta.

ad pag 48. *tab C*

	vocabulum	*significatio.*	*locus quo legitur*
1.	[illegible]	*homo.*	*titul. rosett et pap. ber. 36.*
2.	[illegible]	*mater.*	*syngraph greyian prim. et sec*
3.	[illegible]	*proles.*	*titul rosett.*
4.	[illegible]	*filia.*	*pap paris. 1. journal as cah. 13*
5.	[illegible]	*aurum.*	*titul. rosett*
6.	[illegible]	*dies.*	*titul. rosett.*
7.	[illegible]	*mensis*	*titul. rosett*
8.	[illegible]	*scripsit.*	*pap. berol. 36.*
9.	[illegible]	*eius*	*titul rosett pap. berol. 36.*
10.	[illegible]	*vita*	*titul. rosett lin. 1. 31.*

Titul. ros lin. 1. [illegible] *graec.* βίον τῶν ἀνθρώπων.
hominum vitam

Titul ros. lin 9 [illegible] *graec.* ἀπέλυσεν δὲ καὶ τοὺς.
homines liberavit.



Aegyptiis verba faciens, cap. 26: *παραπλήσια δὲ λέγουσι καὶ περὶ τῶν τριακόσια ἔτη δοκούντων ἄρξαι. κατ' ἐκείνους γὰρ τοὺς χρόνους τὸν ἐνιαυτὸν ἀπαρτίζεσθαι τέτταρσι μησὶ, τοῖς γινομένοις κατὰ τὰς ἑκάστων τῶν χρόνων ὥρας, οἷον ἔαρος, θέρους, χειμῶνος.* Et Plutarchus in vita Numae, cap. 18: *αἰγυπτίοις δὲ μηνιαῖος ἦν ὁ ἐνιαυτὸς, εἶτα τετράμηνος, ὥς φασι.* Censorinus in libro, qui de die natali inscriptus est, cap. 19: Et in Aegypto quidem antiquissimum ferunt annum bimestrem fuisse; post deinde ab Isone rege quadrimestrem factum; novissime Arminon ad tredecim menses et dies quinque perduxisse. Solinus in libro, qui Polyhistor nuncupatur, cap. 1: Nam ante Augustum Caesarem incerto modo annum computabant, qui apnd Aegyptios quatuor mensibus tenninabatur, apud Arcadas tribus, apud Acarnanas sex, in Italia apud Lavinios tredecim, quorum annus trecentis septuaginta et quatuor diebus ferebatnr. Augustinus in libro, qui est de civitate Dei, lib. 12. cap. 10: Perhibentur enim Aegyptii quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur; vid. quoque lib. 15. cap 12.

Quam quadrimestrem anni partitionem propter naturalem anni tempestatumque conditionem recepisse Aegyptios conjecerunt viri docti, ut Idelerus, qui in libro Chronologiae, part. 1. pag. 94. haec exponit: Es ist aber anch sehr wohl möglich, dafs die Aegypter bey Einführung des Sonnenjahrs zuerst nach viermonatlichen Abschnitten rechneten, da die Natur selbst ihr Jahr in drei Zeiträume von dieser Dauer theilt, in die Periode der Ueberschwemmnng, in die der blühenden Flur, und in die der trockenen und ungesunden Hitze. Champollionus vero ex picturis quibusdam, quas ex Aegypto ad eum miserant Anastasyus et Saltius, signa mensinm Aegyptiorum cum enchoria, tum hieratica et hieroglyphica invenit, quae cum quadrimestri anni partitione mirifice congruunt. Quod utilissimum sane inventum in libro: Bulletin universel; septième section. Paris, 1824. Décembre, his verbis indicavit: Une nouvelle lettre de M. Champollion le jeune, dn 23 Novembre, annonce que, d'après des dessins de monumens qu'il a reçus d'Egypte et rapprochés des papyrus historiques du muséum de Turin, il est parvenu à rétablir, premièrement l'ancien calendrier égyptien, l'ordre des mois, leur distribution en saisons, et leurs noms en écritures hiéroglyphique, hiératique et démotique; puis le système de supputation dn temps et son expression dans les trois écritures; enfin le système de numération dans ses diverses sortes de signes et dans les trois écritures aussi, de sorte que les dates, en années, mois et jours, et les nombres exprimés dans l'un ou l'autre des trois systèmes, ne présentent plus de difficultés. L'histoire et la chronologie tireront d'importans renseignements de ces nouvelles notions.

Signa illa mensium enchoria a Champolliono inventa, quae vir humanissimus idem atque ingeniosus litteris ad me datis mecum communicavit, hac vero ratione constituta esse videntur. Primae tempestatis, quae menses Thot, Phaophi, Athyr et Choiak continet, signum enchorium hoc est:



Singuli quatuor tempestatis menses numeris, qui unum, duos, tres et quatuor significant, ad tempestatis signum adscriptis indicantur, quemadmodum in tabula F. huic paginae adjecta factum est.

Secundae tempestatis, quae menses Tybi, Mechir, Phamenoth et Pharmuthi continet, signum enchorium hoc est:



singulique menses pariter atque in tempestate prima significantur quatuor numeris ad tempestatis signum adscriptis.

Tertia denique tempestas, quae menses Pachon, Payni, Epiphi et Mesori continet, hoc signo enchorio indicatur:



cui ad significandos singulos menses iidem numeri adjiciuntur. Omnium autem mensium signa hac ratione condita in tabula F. cernere licet. Adponenda nunc sunt aliquot horum signorum ad menses pertinentium exempla bilinguia, quae cum adjecta interpretatione graeca signorum significationem demonstrare atque comprobare videntur.

Decretum Rosettense conditum est, ut linea sexta tituli graeci prodit, die octavo decimo mensis Mechir:

μεχεὶρ ὀκτωκαιδεκάτῃ;

quod linea prima tituli enchorii ita scriptum cernitur:



xviii ⁝ ⁝ mechir

Linea quadragesima sexta vero tituli Rosettensis graeci declarat, diem natalem regis agi tricesimo die mensis Mesori:

τὴν τριακάδα τούτου μεσορή;

quae verba linea vicesima septima tituli enchorii ita repraesentata sunt:



xxx ⁝ mesori

Signa mensium hieroglyphica
a Champollione reperta

ad pag. 50. *tab. D.*

	*tempestas prima*		*tempestas secunda*		*tempestas tertia*
	*thoth.*		*tybi*		*pachon.*
	*phaophi.*		*mechir*		*payni.*
	*athyr.*		*phamenoth.*		*epiphi*
	*choiak.*		*pharmuthi*		*mesori*

Pro … *scribitur etiam* … *et* …

In titulo rosettensi scriptum legitur:

graece: τριακάδα τούτου μεσορὴ . *hieroglyphice:*   *enchorie.*

30 *mesori.* 30 *mesori.*

Signa mensium hieratica
a Champolliono reperta.

ad pag. 50. tab. E

tempestas prima	*tempestas secunda*	*tempestas tertia*
thoth	*tybi*	*pachon*
phaophi	*mechir*	*payni*
athyr	*phamenoth*	*epiphi*
choiak	*pharmuthi*	*mesori*

Menses tempestatis primae etiam sic Significantur

In papyris Taurinensibus haec leguntur.

Champ. lettre 2 tab 14

populi regis divi rectoris XXVIII die athyr 2 anno

Champ lettre 2 tab 12

regis XXVIII die mesori 8 anno



Signa mensium enchoria
a Champollione reperta.

ad pag. 50. *tab. F*

tempestas prima	*tempestas secunda*	*tempestas tertia*
thoth.	*tybi*	*pachon*
phaophi	*mechir*	*payni*
athyr	*phamenoth*	*epiphi*
choiak.	*pharmuthi*	*mesori*

Pro numero etiam atque ad tempestatum signa adscribuntur; quemadmodum in papyro berolinensi 42 scriptum est: payni

Signum tempestatis primae fortasse etiam sic scribitur.

Quod si ita est, vocabula . *journal asiat nro 13.*
. *papyr. berolinens 49*
. *papyr berolinens 50*

interpretanda sunt choiak

Emtio, ad quam pertinet antigraphum Greyianum, facta est die octavo decimo mensis Athyr:

ἀθὺρ ιη'

quod in papyro Berolinensi tricesimo sexto ita enchorie significatum est:

xviii | athyr

Emtio, ad quam pertinet syngrapha prima papyri Greyiani, in libro Hieroglyphics, tab. 34. repraesentati, facta est anno vicesimo octavo et quidem die octavo decimo mensis Pachon; adscriptus enim est dies emtionis in exactione vectigalis graeca syngraphae enchoriae adjecta, his scilicet verbis:

ὂν ἠγορ. ἐν τῷ κη' παχῶν ιη';

quae in exordio ipsae syngraphae enchoriae hoc modo scripta reperiuntur:

xviii | pachon | 28 | anno

atque repetita quoque ejusdem syngraphae linea quarta decima leguntur.

Hieratica mensium signa, quae eadem, qua signa enchoria, ratione constituta sunt, in tabula E. exarata adjeci; hieroglyphica in tab. D. repraesentata sunt.

In siglorum numero fortasse ponenda quoque sunt vocabula enchoria truncata vel pluribus signis orbata, quae nonnullis locis deprehendere mihi visus sum. Ex quibus est vocabulum Epiphanem significans, quod in papyro Berolinensi tricesimo octavo legitur. Plerumque enim in papyris enchoriis, ut in papyri Berolinensis tricesimi sexti exordio, supra pag. 46. repraesentato, vocabulum Epiphanis hoc modo plenius exaratum reperitur:

Verum in exordio papyri Berolinensi tricesimi octavi, supra pag. 45. repraesentato, vocabulum quoddam cernitur ita exaratum:

